PRIMA DIOECESANA

SYNODVS

SANCTÆ ECCLESIÆ TRIVENTINÆ

A FRATRE

ANTONIO TORTORELLI

Seraph. Ord. Min. Reg. Obseruantiæ eiusdem Ecclesiæ Episcopo.

Mense Octob. die XIII. XIV. & XV. A. D. MDCLXXXVI. CELEBRATA.

108 e 29

CESENÆ, Typis Petri Pauli Ricceputi MDCLXXXVIII.

Superiorum Facultate.

FR. ANTONIVS TORTORELLI

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Triuentinus, eidem Sanctæ Sedi immediatè subiectus, Regiusque Consiliarius, &c.

Dilectissimis suæ Ciuitatis, totiusque Diœcesis Capitulo, & Clero salutem in Domino sempiternam.

AD huius Sanctæ Ecclesiæ Præsulatum è Seraphicæ Religionis gremio, nullis suffragantibus meritis, sed gratia dumtaxat illius, *qui suscitat de puluere egenum, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat*, mirabiliter euecti: in eodem statim totum nostrum iactauimus cogitatum; vt ipse, qui incępit, ipse perficeret; vtque ad boni Pastoris partes adimplendas Nos dignos efficeret, incessanter exorauimus; nè Animæ nostræ salus, quæ in eiusdem Religionis tutissimo portu quò securior, eò integrior permanebat, in periculoso Prælaturæ gradu ipsa claudicaret, ac periclitaretur. Quapropter in primo nostri suscepti Regiminis anno 1685. Sacra Visitatione tota hac nostra Diœcesi lustrata; ac de omnium Ecclesiarum, Ecclesiasticarumque rerum, & Animarum Nobis commissarum statu

ufficienter inſtructi, in hoc ſecundo eiuſdem noſtri Præſulatus anno 1686. primam Diœceſanam Synodum iuxta Sac. Concil. Trid. ſanctiones, legitimè conuocauimus; rectè, ac ſolemni ritu Deo Authore celebrauimus. In qua quidē ea omnia ſtatuimus, eaſq; leges promulgauimus, quæ ad Cleri, & Populi mores, vel reformandos, vel conſeruandos; ad Eccleſiaſticam diſciplinam, vel inſtaurandam, vel fouendam; ad Chriſti Patrimonium in Bonis Eccleſiaſticis, vel reuocandum, vel cuſtodiendum; ad Dei Cultum, Eccleſiarumque nitorem, vel reſtituendum, vel augendum; ad Corruptelas, exceſſus, & abuſus extirpandos, ac ad Animarum Nobis creditarum ſalutem perfectè curandam, viſa ſunt in Domino expedire; quorum plurima, & forſan maior eorum pars a noſtris Illuſtriſſimis Prædeceſſoribus ſapienter, ſanctèque ordinata, ac ſancita fuere. Quia verò ſuas Synodos Typis minimè dederunt (non enim alia Synodus impreſſa, niſi illa Præclariſſimi Anteceſſoris noſtri Fratris Pauli Biſnetti ex eadem Seraphica Familia aſſumpti, Præſulis æterna memoria digni, de anno 1613. in hac Diœceſi reperitur); hinc quaſi omnia in nō vſum faciliter abierunt; ſicque renouanda, ac ex noſtri muneris debito confirmanda omninò erant. Eadem nunc Typis edita, Vobis Filij dilectiſſimi exhibemus; vt præ manibus, præ oculis, immo & in cordibus

veſtris

veſtris ipſa ſemper habentes, abſq; vlla neſcientiæ excuſatione obſeruare ſtudeatis; nec non vt reliqui fideles, quorum Duces, & Paſtores eſtis, veſtra inſtructione, & exemplo faciliùs, ac fructuoſiùs ad eorum ſalutem exequi valeant. Alacri igitur, ac hilari animo illa accipite, non tanquam à Nobis, ſed tanquam ab eo, qui poſuit Nos Epiſcopum Animarum veſtrarum, quas ſuo pretioſiſſimo ſanguine redemit: atque adeò non pęnarum metus; ſed virtutis amor; ſed eiuſdem Chriſti Domini Redemptoris infinita charitas, qui pro Nobis ſeipſum in Ara Crucis ſacrificium obtulit; ſed æternæ gloriæ præmium, ad ea fideliter exequenda vos impellant. Si quis autem potius formidine pęnę, quam virtutis amore ad horum obſeruantiam ſe ſe duci permiſerit; non tam harum Conſtitutionum comminatas pęnas, immo nec quarumcumque huius præſentis vitæ, quæ leues ſunt, & citò tranſeunt; ſed eas, quæ in futuro ſęculo cum diris cruciatibus ſine fine torquebunt, exhorreat; Vt enim apertè Summus Pontifex S. Clemens epiſt. prima teſtatur: *In Iudicio Dei ignis æterni tormenta ſuſtinebit, qui Eccleſiaſtica decreta neglexerit*. Quod vt Deus auertat, & omnem Vobis in bona obſeruantia perſeuerandi gratiam vſque in finem benignè concedat, eius infinitam Bonitatem enixè precamur. Valete.

INDEX

INDEX
Titulorum Constitutionum Synodalium.

De Fide Catholica, ac fidei professione. Tit. 1. pag. 1.
De Fide tuenda. Tit. 2 pag. 2.
De Doctrina Christiana. Tit. 3. pag. 3.
De Vsu librorum. Tit. 4. pag. 5.
De Prædicat. Verbi Dei. Tit. 5. p. 6.
De Sacris Reliquijs, Imaginibus, & Miraculis. Tit. 6. pag. 9.
De Blasphemijs, Maleficijs, & Superstitionibus. Tit. 7. pag. 11.
De Diuino Cultu, & Sacris Cæremonijs. Tit. 8. pag. 12.
De Obseru. Festorum. Tit. 9. pag. 14.
De Ieiunio, & Indulgentijs. Tit. 10. pag. 16.
De Sacros. Ecclesijs. Tit. 11. pag. 18.
De Immunitate Ecclesiastica, Ecclesiasticarumque personarum. Tit. 12. pag. 22.
De Bonorum Ecclesiasticorum administratione, Inuentarijs, & Decretis. Tit. 13. pag. 26.
De Testamentis, Pijsque legatis. Tit. 14. pag. 33.
De Funeribus, & Sepulturis. Tit. 15. pag. 35.
De Sacramentis in Genere. Tit. 16. pag. 39.
De Sacram. Baptismi. Tit. 17. pag. 40.
De Sacram. Confirmationis. Tit. 18. pag. 44.
De Augustissimo, & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Tit. 10. pag. 45.
De Sacramento Pœnitentiæ. Tit. 20. pag. 50.
De Sacramento Extremæ vnctionis. Tit. 21. pag. 57.
De Sacram. Ordinis. Tit. 22. pag. 58.
De Sacram. Matrim. Tit. 23. pag. 63.
De Missarũ celebrat. Tit. 24. pag. 68.
De Chori disciplina, horis Canonicis, & Cantu. Tit. 25. pag. 75.
De Casuum Conscientiæ Collatione. Tit. 26. pag. 79.
De Vita, & Honestate Clericorum. Tit. 27. pag. 80.
De Institutione, seu Erectione Seminarij. Tit. 28. pag. 85.
De Regularibus. Tit. 29. pag. 86.
De Monialibus. Tit. 30. pag. 88.
De Confraternitatibus Laicorum. Tit. 31. pag. 96.
De Concubinarijs, alijsque Criminosis. Tit. 32. pag. 98.
De Paroch. Officio. Tit. 33. pag. 100.
De Vicarijs Foraneis, & alijs pro seruitio Episcopal. Curiæ. Tit. 34. pag. 103.
De sententia Excommunicationis, & Excommunicatis vitandis. Tit. 35. pag. 107.
De Capitulo nostræ Cathedralis, Archiuio Curiæ, ac aliorum. Tit. 36 pag. 160.
De Obedientia Episcopo, ac Episcopali Cathedræ præstanda, & Cathedratico soluẽdo. Tit. 37. pag. 109.
De exemptione Triuentinæ Eccl. deque voluntaria Comprouincialis electione pro Concilio Prouinciali. Tit. 38. pag. 110.
De Obseruantia, & executione Synodalium Constitut. & declarationib. super easdẽ euulgatas. Tit. 39. pag. 111.
Decretum vltimum de dimissione Synodi. 112.
Rogitus Actorum. ibid.

DECRE-

DECRETVM PRIMVM

De Synodo incepta, seù de aperitione, & inceptione Synodi.

In Nomine Sanctissimæ, ac Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

NOs Fr. Antonius Tortorelli Seraphici Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ S. P. Francisci, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia huius Sanctæ Ecclesiæ Triuentinæ Episcopus, eidem Apostolicæ Sedi immediatè subiectus, ac Regius Consiliarius: Ad Omnipotentis Dei, & Iesu Christi Filij eius Domini nostri, eiusque Immaculatæ Matris, semperque Virginis Mariæ, eius Virginalis Sponsi Diui Iosephi, Sanctorum Titularium, ac Patronorum nostræ Vrbis, ac Dioecesis Beatorum Christi Martyrum Nazarij, Celsi, & Victoris, Seraphici Francisci, Bonauenturæ, Antonij, ac omnium Sanctorum laudem, & gloriam, Dioecesanam nostram Synodum, quam datis literis indiximus, & conuocauimus; hodièque aperiendam, ac incipiendam decreuimus, hac ipsa die apertam, ac inceptam esse volumus, & decernimus. Dignetur idem Omnipotens Deus pro sua ineffabili Misericordia, pre-

ci-

cibusque eiusdem Immaculatæ Virginis, eorumdem, & omnium aliorum Sanctorum gratiam Nobis concedere, vt (quemadmodum ſperamus) ex hoc Sacro Cętu lumen, & ſpiritum omnes reportemus, ad officia noſtra ſecundùm voluntatem Dei peragenda; totaque hæc Synodalis actio ad maximum huius Nobis commiſſi Gregis iuuamen dirigatur, & perueniat.

Reliqua decreta in tribus ſeſsionibus habita: videlicet, de modo viuendi in Synodo cum Tabella diſciplinæ Synodalis: de Miniſtris Synodalibus, cum eorum Catalogo: de præiudicio non afferendo: de non diſcedendo ab Vrbe: de oratione publica: de fidei profeſſione: de Clero vocando, & ſeruitio Synodali agendo: de Iudicibus Synodalibus: de Examinatoribus cum eorum expreſſis nominibus: de Teſtibus Synodalibus, iuſtis de cauſis nominibus ſuppreſſis (quorum inſtructiones in Appendice habentur): de Officialibus Cleri, & alia, quæ in vnaquaque Seſſione fieri ſolent; ſicut & methodus totius Diœceſanæ Synodi, breuitatis gratia hic relinquuntur; habentur tamen in actis totius proceſſus Synodalis, quæ in Archiuio Epiſcopalis Curiæ aſſeruantur.

CON-

CONSTITVTIONES SYNODALES S. ECCLESIÆ TRIVENTINÆ

Iussu Illustris. & Reuerendiss. Domini

F. ANTONII TORTORELLI

Eiusdem Ecclesiæ Episcopi editæ, & promulgatæ in prima Synodo, vt supra CELEBRATA.

TITVLVS PRIMVS.

De Catholica Fide, eiusque professione.

Caput Primum.

CVM Fides, quam Sancta Romana Ecclesia omnium Mater, & Magistra tenet, & docet, basis sit, & fundamentum totius spiritualis ædificij, necesse omninò est, illa vacillante, hoc consurgere, ac stare non posse. Nos itaque, qui Pastorali nostræ curæ creditos, ad culmen Christianæ perfectionis peruenire vehementer cupimus, paterna eos charitate hortamur, vt Fidem Catholicam, & Apostolicam in eis per Baptismum à Summo humanæ salutis Opifice immensà benignitate iactam, adeò firmam, stabilem, ac infernalibus incursionibus inconcussam seruare studeant, vt in ipsa viuere, cum ipsaque, ac pro ipsa mori, constantissimè sint parati: non humanæ sapientię rationibus vllo pacto eius mysteria assequi audeant, sed in eius obsequium captiuantes intellectum, doctrinis varijs, nouis, & peregrinis, cordis, & corporis aures prorsus claudant; nec de ea publicè vllatenus disputare præsumant. Et quia, vt ait Apostolus: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: Sacris Canonibus, ac Pontificiis ordinationibus inhærendo, de eiusdem Fidei professione facienda sequens Decretum promulgandum duximus.

Caput Secundum.

Prouisi igitur de Beneficijs curam animarum habentibus, post adeptam horum possessionem teneantur infra bimestre fidei professionem emittere in manibus nostris, vel nostri Generalis Vicarij, iuxta formam fel. rec. Pij Papæ IV. infra in appendice tradendam. Obtinentes autem Dignitates, aut Canonicatus, eandem tum in manibus nostris, vel nostri Vicarij, tum in Capitulo infra idem tempus emittant: alioquin non faciant fructus suos: alijsque Canonicis pœnis subiaceant.

Caput Tertium.

Nemo in posterum, siuè Clericus, siuè laicus munus legendi, prædicandi, interpretandi, vel docendi quasuis literarias, siuè cuiusuis generis liberales artes, etiam prima Grammaticæ rudimenta suscipiat, nisi prius circa mores, & habilitatem in nostra Curia Episcopali approbatus, & coram Nobis, vel nostro Vicario Generali Fidem Catholicam professus, licentiam obtinuerit sub pœna excommunicationis, & alijs nostro arbitrio. Idem intelligi volumus de Concionatoribus, Confessarijs, etiam Monialium, Vicarijs foraneis, & Ministris nostræ Curiæ.

Caput Quartum.

Curent Parochi, vt ægroti mortis imminente periculo per semetipsos, vel per alios eorum nomine vltra spei, charitatis, & aliarum virtutum protestationes, necnon alia ad animæ commendationem præscripta, Symbolum Fidei, latina, vel vernacula lingua deuotè recitent, vt infernali Leoni, qui tunc maximè rugiens, circuit quærens quem deuoret, resistere valeant fortes in Fide.

TITVLVS SECVNDVS.

De Fide tuenda.

Caput Primum.

QVandoquidem summa Dei bonitate factum est, vt his in regionibus nasceremur, in quibus, & Orthodoxa viget Religio, & Fidei Catholicæ professio intacta permanet: summo studio satagendum Nobis est, vt eadem omninò pura, sinceraque conseruetur: & ab omni nedum hæretica prauitate, sed suspicione etiam, ac superstitione fit libera. Quapropter districtè mandamus sub pœna excommunicationis, non modo Clericis, sed etiam laicis, eos Nobis denunciare, quos ab ea quoquo modo alienos, vel quocunque titulo suspectos esse nouerint:

rint: præsertim qui Magias, Incantationes, Sortilegia, Veneficia, aut alias damnatas, & diabolicas artes, præcipuè cum abusu Sacramentorum, sacrarumque rerum exercent; cibis vetitis in diebus prohibitis absque licentia, & legitima causa vtuntur, quosque blasphemantes hæreticaliter audierint, ac Confessarios ad turpia pœnitentes sollicitantes quocunque modo cognouerint; necnon eos, qui hæreticorum libros, vel hæresim continentes, aliosque, vt in Indice librorum prohibitorum, legere, aut apud se retinere præsumpserint; & hoc denunciandi onus, vt omnibus, & singulis innotescat, mandamus Parochis sub pœna scutorum quinque, vt Sanctæ Inquisitionis Edictum in Appendice harum Constitutionum apponendum quotannis in Quadragesima, & Aduentu Domini inter Missarum solemnia promulgent, & ad rudiorum intelligentiam explicent.

Caput Secundum.

Caueant Confessarij, ne absolutionis beneficium eis impertiantur personis, quæ se in confessionibus sollicitatas fuisse ad turpia confitentur; quæque sciunt aliquem hæreticaliter blasphemasse, aut alia commisisse, pro quibus denunciandus est: Si eum denunciare Nobis, aut nostro Vicario Generali neglexisse, aut negligere compererint; tunc enim censendi sunt, tanquam qui communicant operibus eorum malignis.

TITVLVS TERTIVS.
De Doctrina Christiana.

Caput Primum.

IN præterita nostra visitatione multos reperimus, etiam ætate prouectos, fidei rudimentorum ignaros, quod maximè dolemus; & quidem nunquam satis deploratum absurdum, quod in gremio Catholicæ Fidei degentes, eius mysteria adeò ignorent, vt schismaticis haud dispares sint: imò in hoc peiores illis, qui falsa suæ diabolicæ sectæ dogmata, meliùs sciunt, & memoriter retinent. Defectum Parochis imputamus, qui Apostolicum munus pueros Christianam doctrinam docendi, quasi (quod dicere pudet) dedignantur, & tamen ait Apostolus: *Fides ex auditu. Quomodo autem audient sine Prædicante.* Aduertant igitur omnes curam animarum habentes, vt sedulò studeant Christiana Doctrina pueros, & puellas imbuere. Quare singulis Dominicis, & festis diebus, mane inter Missam magis à Populo frequentatam, alta, & intelligibili voce ipso Parocho, vel alio eius nomine proferente, alijsque respondentibus, doceantur mysteria Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis Filij Dei, oratio Dominica, & Salutatio

Angelica; necnon articuli fidei vulgari sermone, atque Decalogi, & Ecclesiastica præcepta, & Sacramenta, peccataque mortalia, opera misericordiæ, ac quatuor nouissima. Alia hora congrua ad sonitum Campanæ, vel datis per vias tintinnabuli signis; vel etiam, vt magis pium, ac fructuosum est, processionaliter Clericis cum pueris, Cruce antecedente per Ciuitatis, vel Oppidi vias incedentibus, & laudes Beatæ Virginis deuotè cantantibus, illos, illasque congregari in Ecclesia, Doctrinamque Christianam edoceri curent, sub pœna vnius aurei pro qualibet vice, cuius tertia pars denuncianti applicabitur, & in subsidium suspensionis à Diuinis. Emantque Parochi librum Doctrinæ Christianæ Cardinalis Bellarmini, illoque vtantur, vel saltem eiusdem Doctrinæ Christianæ compendio in Appendice apponendo, vna cum Summario Indulgentiarum à Summis Pontificibus concessarum Doctrinam Christianam frequentantibus, ab eisdem Parochis sub eadem pœna Populo publicando.

Caput Secundum.

Aduertant itidem Parochi, puerorum parentes, vel alios illorum curam gerentes, ac etiam patrinos, qui siuè in Baptismo, siuè in Confirmatione eos tenuerunt; similiter & eos, qui famulos, aut villicos ad excolendum eorum agros, & animalia custodienda in campis detinent, hoc præcepto pariter adstringi, nempè docendi illos principia fidei, vel saltem sedulò curandi, vt ad Ecclesiam conueniant, dum explicantur à Parochis; qui tandem omni conatu procurent, vt vsu rationis pollentes articulos fidei (pro cuiusque captu) intelligant: præcipuè mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Dominicæ, Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, & alia prædicta in præcedenti capite.

Caput Tertium.

Magistri quoque Grammatices teneantur curare quolibet Sabbato ante scholæ dimissionem, eandem Doctrinam Christianam memoriter à pueris recitari, & eos diebus Dominicis ad Ecclesiam Parochialem Sacra Catechesi imbuendos adducant, sub eadem pœna (in omni casu negligentiæ) vnius aurei; cuius tertia pars pariter denuncianti applicabitur. Similiter & Clerici præstò sint Parochis ad rudes homines Christianæ Doctrinæ instruendos; aliàs ad maiores Ordines non ascendent.

Caput Quartum.

Parochis insuper, & Confessarijs omnibus in Domino commendamus, vt pœnitentes, de quorum ignorantia probabiliter dubitant, in-

terrogent, an sciant mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis, necnon orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, Præcepta Dei, & Ecclesiæ, & quos ignorare compererint, inferni supplicia insonando ad discendum inflectant, instando opportunè, importunè in omni patientia, & doctrina; quos autem in sequentibus confessionibus non instructos compererint, pro pœnitentia aliquando iniungant, vt discant, & aliquando Sacramentali absolutione destitutos dimittant: reflectendo ad propositionem illam: *Absolutionis est capax homo, quantumuis ignoret mysteria Fidei*, à D. N. SS. Innocentio XI. damnatam.

TITVLVS QVARTVS.
De vsu Librorum.

Caput Primum.

EXperientia compertum est, lectione librorum, tum emolumenti, tum detrimenti animabus afferri: emolumenti siquidem, dum qui leguntur, sanam, Catholicam, ac ad spiritualem amorem excitantem continent doctrinam: Detrimenti, si perniciosam, à fide aberrantem, vel bonos mores corrumpentem. Nos itaque, sicut ad sacrorum librorum assiduum studium omnes quammaximè adhortamur; sic à superstitiosorum, & obscœnorum vsu omninò auertere percupimus; Vt autem hoc pro posse assequi valeamus, districtè præcipimus omnibus curam animarum habentibus, quatenus infra bimestre post huius Synodi celebrationem, tribus diebus festis inter Missarum solemnia populos sibi commissos moneant nomine nostro, vt infra viginti dies sequentes, singuli, tam Ecclesiastici, quam laici, eis exhibere debeant indicem, siuè notam omnium librorum, tam impressorum, quàm non impressorum, quamuis Catholicorum, & euulgatorum, & de quacunque facultate, & scientia, tam sacra, quàm profana tractantium, quos penes se habent, sub pœna excommunicationis, & ammissionis eorundem librorum; Et Parochi ipsi easdem notas iuratas recipiant, & ad Nos infra viginti dies deferre teneantur sub pœna ducatorum trium; Et vt melius Decretum hoc omnibus innotescat, post promulgationem, ut supra, illius copia vernacula lingua in valuis cuiuscunque Parochialis affigatur: Hæcque omnia de quinquennio in quinquennium renouentur.

Caput Secundum.

Inposterùm autem nemo, siue Clericus, siue laicus in hanc nostram Diœcesem libros introducere audeat, siue ad vsum proprium, siue vt illos vendat, quin infra mensem, vel ipsosmet libros, vel eorum distin-

ctam

ctam notulam iuratam cùm titulis, ac nominibus Authorum ad Nos transmittat, vt bene inspectis per Nos, vel nostrum Vicarium Generalem, illorùm vsus, aut permittatur, aut interdicatur, sub eisdem pęnis.

Caput Tertium.

Denique sciant vniuersi, libros ab Ecclesia reiectos, prohibitos, & suspensos, esse generaliter quoscunque, de quacunque materia compositos ab Hæreticis ab Ecclesia damnatis: tum libros, licet non ab Hæreticis, hæresim tamen, vel falsam doctrinam continentes: ad Magiam, diuinationes, aut iudiciariam Astrologiam spectantes, bonosque mores corrumpentes, & omnes in indice librorum prohibitorum descriptos; Insuper Sacram Bibliam vulgari sermone conuersam, nec legere, nec apud se habere posse. Licentias autem huiusmodi libros legendi, quouis capite, vel titulo reuocauit Gregorius XV. anno 1622. in Constitutione, quæ incipit *Apostolatus*; facultatemque illas concedendi, soli Sacræ Congregationi Sancti Officij supremæ Inquisitionis reseruauit.

TITVLVS QVINTVS.
De Prædicatione Verbi Dei.

Caput Primum.

CVM omnium rationabilium præcipuum pabulum sit Verbum Dei, omnibus Curatis districtè præcipimus, vt diebus Dominicis, ac Festis, oues sibi commissas illo recreent, Euangelium pro suo, illorumq; captu breuiter explicando; Præcepta, tum Diuina, tum Ecclesiastica declarando; Vim censurarum perpendendo: Festa, ac Ieiunia enunciando: eorum obseruantiam enixè suadendo: Denique quid vitare, quid amplecti debeant ad salutem consequendam exemplo Christi Domini, Sanctorumque demonstrando. De huiusmodi adimplemento, quod sub pæna vnius aurei pro qualibet vice iniungimus, attestationem trium Sacerdotum, vel aliorum piorum virorum ad Nos, saltem bis in anno transmittant, sub eadem duplicata pæna pecuniaria pijs vsibus Parochialis Ecclesiæ applicanda.

Caput Secundum.

Exceptis Parochis, nemini liceat sine nostra expræssa licentia, gratis concedenda, Concionari. Regulares etiam approbati à suis superioribus nequeant prædicare in alijs Ecclesijs, absque facultate à nobis impetrata; In Ecclesijs verò sui ordinis Concionaturi, teneantur petere benedictionem, personaliter Nobis se præsentando, non autem per Nuncios, aut literas, & omni tempore, ne dum Aduentus, & Quadra-

dra-

dragesimæ, vt declarauit Sacra Congregatio Episcoporum 16. Octobris 1601. Quod si quis Regularis aliud præsumpserit, sciat se à Nobis per censuras, & pœnas contentas in Constitutione Gregorij XV, incipiente, *Inscrutabili* 1622. puniendum.

Caput Tertium.

Licet deputatio Concionatorum in quauis Ecclesia nostræ Diœcesis ad Nos propriè de Iure, & Officio spectet, vt ex Trid. sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4. de Refor. nihilominus benignitatem nostrorum prædecessorum sectantes, Vniuersitatibus, quæ sunt in quasi possessione nominandi indulgemus, vt possint eos præsentare, cum infrascriptis tamen conditionibus, & non aliter. Primò, vt nominatio, conuocato parlamento vniuersitatis, communi consensu decernatur, & in libro communium conclusionum describatur: deinde, vt eam Nobis significent ante Festum Epiphaniæ per simplicem, & supplicem Epistolam manu singulorum de Regimine, & Cancellarij subscriptam tenoris sequentis, iuxta Sacræ Congregationis mentem, videlicet. *Cum ad Nos de Regimine huius Terræ N. spectet nominare Concionatorem pro futura Quadragesima, anno 16... Ideo R. Patrem N. N. Illust. & Reuer. Domino nostro Episcopo Triuentino nominamus, & præsentamus; eumdem Illustrissimum, ac Reuerendissimum Dominum enixè rogantes, vt ipsum benignè admittat, eique debitam facultatem tribuat, ac suam Sanctam Benedictionem impertiatur. In quorum &c.* Non autem per patentes literas, in quibus fit mentio *de electione, & approbatione*, siue de ijs terminis, *eligimus, & deputamus*, eisdem Concionatoribus directas; cum hæ iurisdictionem arguant; cuius erga Ecclesiastica munia laici sunt omninò incapaces; & propterea Sac. Cong. censuit, & decreuit, *Episcopum posse, & debere reijcere illas literas patentes, in quibus Vniuersitas, aut Communitas vtitur illis verbis: eligimus, & deputamus.* Quod si aliter facere præsumpserint, ex nunc nominationem, vt nullam reijcimus; aliumque Nobis benè visum Concionatorem destinamus. Quod si deinde Ciues loci illius eum, vel recipere noluerint, vel receptum malè tractauerint in præstatione Domus, victus, ac consuetæ eleemosynæ, Communitatem ipsam Ecclesiastico subijciemus interdicto; Particulares verò talia perpetrantes excommunicabimus.

Caput Quartum.

Noctis tempore nulla habeatur Concio, neque Passionis Iesu Christi Domini nostri, quæ etiam nullo pacto scenicè peragatur. Nemo pauperratis nomine (nec ipsemet Concionator) Populo commendetur absque nostra licentia, nisi tamen vrgens sit necessitas, vt hæc expectari nequeat, in quo casu sufficiat licentia Archipresbyteri, vel Re-

ctoris. Eleemosinæ verò ad fores Ecclesiæ petantur, peracta Concione. Et nè prædicatio maximo Populi scandalo, nec sine Diuinorum contemptu fiat, vt aiunt, in deserto, præcipimus Vicarijs Foraneis, in horumque defectu, Archipresbyteris, vt Ecclesiasticos omnes ed eam quotidiè conuenire cogant: Non conuenientes autem pro vnaquaque vice Caroleuum vnum soluant, ad sacram suppellectilem illius Ecclesiæ, cui sunt adscripti, applicandam; Sæculares verò ad idem verbo, & exemplo feruidè moneant, vt posthabitis sæcularibus negotijs, Concionibus intersint, inhibentes Mercatoribus, & Artificibus, nè Concionis tempore opus artis, vel negotiationis exerceant, sed Apothecas, & Officinas claudant, sub pæna Carolenorum quinque; Nullusque Sacerdos dum habetur Concio, Missam priuatam in eadem Ecclesia audeat celebrare, sub pæna vnius aurei, vt supra applicandi.

Caput Quintum.

Prohibentur itidem Predicatores ex Constitutionibus Apostolicis in Concionibus disputare de Diuinis auxilijs, deque Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, licèt valeant tanquam piam, & cui fauet communis sensus Ecclesiæ affirmatiuam opinionem de Immaculata, deuotioni fidelium congruis rationibus proponere, ac suadere. Abstineant præterea sub pœna suspensionis ab historijs Apocryphis, miraculorum non approbatorum narratione, nouarum indulgentiarum, aut reuelationum euulgatione. Insuper nedum inanes, & scurriles fabulas, sed & scholasticas quæstiones, quæ sua difficultate mentes Populares potius confundere, quàm erudire valeant, deuitent. Doctrinam Sanctam, Catholicamque, & Sanctum Euangelium Christiana simplicitate, ac maiori, qua possunt facilitate explicent, iuxta sensum, quem tenet Sancta Romana Ecclesia, & Sanctorum Patrum authoritas comprobat. In vna saltem concione eis melius visa frequenti populo perpendant vim excommunicationis, præcipuè ob vsurpationem, & retentionem bonorum Ecclesiasticorum, & perturbationem Iurisdictionis Ecclesiasticæ, adeout populi percipiant, quanti sit ponderis huiusmodi censura, etiam quoad bona temporalia, idque exemplis, & rationibus exagerent, vt ad illam, vt par est, metuendam disponant. Vitia, quæ in illo loco magis præualent, quorumque notitiam à Curatis exquirant, frequentiùs, & feruentiùs obiurgent, fidelium animos excitent ad amorem, & timorem Dei, ad Nouissimorum memoriam, ad detestationem, & odium peccatorum, ob quorum multitudinem his præcipuè temporibus plures experimur calamitates, & Iustitiæ Diuinæ flagella. In illis tamen vitijs reprehendendis zelum tali prudentia temperent, vt cuiusque famæ, & honori (maximè Prælatorum) nominatim, vel circumlocutione aliqua, nullo pacto detrahant. Denique

populo

populo valdè inculcent obligationem sciendi mysteria fidei, ac alia necessaria ad animæ salutem, quorum inexcusabilis ignorantia multos ad Tartara præcipitare non desinit; Hoc autem Decretum, aduenientibus Concionatoribus Archipresbyteri statim significent, eisque copiam omninò tradant.

TITVLVS SEXTVS.
De Sacris Reliquijs, Imaginibus, & Miraculis.

Caput Primum.

VT Sacris Reliquijs in Cœlo Christo conregnantium debitus honor, & cultus deferatur: Quæ reperiuntur in Ecclesijs nostræ Diœcesis in perpolitis, & ornatis vasculis, ac Reliquiarijs, locisque honestissimis, omni, qua decet reuerentia, & Religione seruari mandamus; & vt earum memoria, vt par est, iugiter perseueret, quilibet Rector, in cuius Ecclesia Sanctorum Reliquiæ asseruantur, scriptiones, & cuiusuis generis monumenta illis affixa, quamprimùm accuratè cognoscat: Inuestiget insuper, an ex Testibus, vel alijs antiquis Documentis Reliquiarum prædictarum certam habere valeat cognitionem, & in libro ad id specialiter deputato sigillatim, tam Reliquias, quàm Schedulas, ac monumenta ad illa spectātia describat, cuius copiam ad Nos, & nostram Curiam infra Mensem transmittat; Inscriptiones verò corrosæ renouentur; Sed priores, licet etiam corrosæ conseruentur ad comprobandam antiquitatem.

Caput Secundum.

Ad fouendam Populi deuotionem erga Sanctorum Reliquias, decernimus; vt quando Populo ostenduntur, luminaria accendantur, nec frequenter omnium oculis exponantur, & ex leui causa, sed tantùm ob deuotionem, & in solemnibus festis, nec sine crystallo medio deosculandæ præbeantur. Contractare autem tantum liceat ijs, ad quos rerum sacrarum administratio pertinet. Quare laici, etiam sodales cuiusuis Confraternitatis nullo pacto contractare audeant. De cætero Thesaurarij nostræ Cathedralis, vel Rectorum aliarum Ecclesiarum munus sit, Reliquias omnes sub clauibus obseratas decenter, & Religiosè custodire: nullusque quouis prætextu eas, vel earum partes, licet minimas subripere, vel transportare præsumat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: Nec vllæ Reliquiæ adorandæ exponantur, quæ priùs à Nobis, vel nostro Generali Vicario recognitæ, & approbatæ non fuerint.

Caput Tertium.

Imagines quoque Christi Domini, Deiparæ, ac reliquorum Sanctorum antiquissimus in Ecclesia est colendi vsus, quatenus honor illis exhibitus referatur ad prototypa, quæ Imagines repræsentant. Nè autem vnde Religionis, pietatis, & morum exempla sumenda sunt, inde ad irrisionem, lasciuiam, aut contemptum Christifideles moueantur: præcipimus, nullas in futurum in Ecclesijs, & locis pijs depingi, siue apponi Imagines, quæ priùs à Pictoribus delineatæ, Nobis, vel nostro Vicario Generali ostensæ, vel relatæ non fuerint, vt quid demẽdum, quid pro Diuini cultus augmento apponendum, censeamus. Aliàs collocatæ amoueantur, & tam Rector Ecclesiæ, quàm earum Author, vel qui eas pingi, aut apponi fecerit, pœna ducatorum trium, pijs vsibus applicanda, mulctabitur. Inhibentes præsertim Imagines Sanctissimæ Trinitatis depingi ad formam trium virorum omnino similium, vt alicubi, licet extra Ecclesias, in Sancta Visitatione comperimus; sed tantùm efformari iuxta vsum ab Ecclesia Catholica communiter receptum, & vetustate comprobatum, sub pœna Nobis arbitraria; Imagines autem cereæ, voti causa Ecclesijs, pijsque locis oblatæ, etiam si vetustate confractæ sint, nullo pacto vendi, aut distrahi poterunt sine nostra licentia, in earundem Ecclesiarum emolumentum conuertendæ sub pœna dupli; Imagines tandem apponi Patronorum Sanctissimorum Nazarij, & Celsi in qualibet Ecclesia Parochiali Diœcesis, vti decens, & pium est, ita iubemus.

Caput Quartum.

In sculptis Imaginibus Beatæ Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum, naturales mulierum capillos apponere non liceat, sed artificiales tantum, omnisque vanus ornatus ab eisdem remoueatur. Sacrosanctæ Crucis effigiem, sacrasque alias Imagines, ac historias, sacrorumque mysteriorum figuras in nullo prorsus pauimento, vel loco humili posito, etiam extra Ecclesiam insculpi, pingi, vel effingi mandamus, nè huiusmodi immundis terantur pedibus. Si quæ Sacræ Tabulæ, vel Imagines, vetustate consumptæ, aut fœdatæ fuerint; vel renouentur, vel ab Ecclesia remoueantur, & crementur, earumque cineres in sacrarium demittantur.

Caput Quintum.

Noua miracula, quamuis certa videantur, à nemine, etiam Regulari, & exempto publicentur, vel depingantur, donec prius Nobis denuncientur, vt quod veritati, ac rationi consonum est, decernamus, sub pœnis nostro arbitrio reseruatis. Falsa verò miracula si quis prædicare,

dicare, vel propalare præsumpserit, excommunicationem Papalem se nouerit incursurum. Vbi autem vulgi concursu aliquid pro miraculo proclamatur, Ecclesiæ Rector, nisi alio modo populari tumultui obsistere poterit, Ecclesiam claudat: ac Nobis quamcitiùs rem significabit, vt, donec de miraculi veritate plena habeatur cognitio, vulgi rumor, concursusque quiescant.

Caput Sextum.

Ad euitandam in rebus sacris derisionem, scandalorumque materiam, interdicimus; nè Martyrum triumphi, aliorumque Sanctorum actiones, cum sacræ historiæ, ac etiam Passio Domini nostri Iesu Christi, siue in loco sacro, siue profano repræsententur, nisi maturè, & præuia reuisione à Nobis, vel à nostro Generali Vicario facienda, ac in scriptis expressa licentia, sub pœna excommunicationis.

TITVLVS SEPTIMVS.
De Blasphemijs, Maleficijs, & Superstitionibus.

Caput Primum.

HOrrendum, ac detestabile blasphemiæ peccatum, quo nullum magis diabolicum, & inexcusabile, à nostra Diœcesi, in qua veluti quædam pestis summa cum animarum iactura grassatur, omninò eliminare cupientes, statuimus; vt si quis Clericus, vel laicus in tantum facinus proruperit, vt Dei nomen, vel Iesu Christi, ac Beatissimæ semper Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum publicè blasphemauerit, grauiter puniatur, iuxta Sacros Canones, & præcipue iuxta Bullam Pij V. quæ incipit: *Cùm primùm*; cuius Italicum Summarium in Appendice apponendum debeant Parochi sub graui pœna arbitraria ad populi notitiam, saltem bis in anno perducere, vt quos Diuinus timor à diabolico hoc vitio non reuocat, temporalis saltem pœna cohibeat. Quibus pœnis subesse volumus respectiuè eos, qui in Mortuos sæuiendo, aliquid impiè maledixerint, præsertim Patris, vel Matris animam; scriptum nempè est: *Patri, & Matri maledicens moriatur*. Sciantque omnes concessam esse decem annorum Indulgentiam à Cōcilio Lateranensi sub Leone X. blasphemantes compescentibus, & reuelantibus. Qui autem blasphemias prædictas audierint, & blasphemos ipsos non obiurgauerint, ac statim ad Ecclesiasticos Iudices non detulerint, sicut à lethali culpa, & à Dei Indignatione, ita à grauibus pœnis nostro arbitrio reseruatis immunes non erunt.

Caput Secundum.

Malefici, seù Incantatores, qui ligaturis, nodis, characteribus, vel

verbis secretis mentes hominum, aut corpora, vel animalium perturbare, morbos inducere, aut ventis, ac tempestatibus imperare præsumunt, aut alio veneficij genere tacitè, vel expressè pacta cum dæmone ineunt; sicut his diabolicis artibus homines à Dei cultu auertere, & infernalibus laqueis alligare conantur; ita eos ab omni hominũ contubernio, ac societate segregari oportet. Idcirco Nos talia cõmittentes, exhibentes, ministrantes, aut ijsdem vtentes, vel consentientes, ipso facto excommunicatos, & à Sanctæ Matris Ecclesiæ sinu remotos esse decernimus, & declaramus; à qua excommunicatione, neque in foro pœnitentiali sine nostra authoritate absolui possint.

Caput Tertium.

Sciant prætereа; Eos, qui solemni sponsione, vel simplici pacto cum diabolo inito à fide Catholica apostatando, maleficijs, sortilegijs, incantationibus, & facturis aliquem ita læserint, vt mors inde sequatur, Curiæ sæculari tradendos, ac puniendos esse, iuxta Constitutionem fel. record. Gregorij XV. Si verò infirmitas tantùm, vel impotentia coeundi, vel generandi, vel diuortium, vel damnum aliud hominibus, animalibus, frugibus, vel alijs fructibus inferatur, eos perpetuo carceri mancipandos, & muro claudendos, ex eadem Constitutione.

Caput Quartum.

Admoneant insuper Curati populos, vt memores se pretiosissimo Christi sanguine de diaboli potestate redemptos, omnem superstitiosum cultum magnoperè deuitent; in ægritudinibus priùs Sacramentorum perceptione se Deo concilient; medicam deinde artem consulant, superstitionibus omninò reiectis, ad animarum perniciem à diabolo excogitatis; nec in suis actionibus tempora, vel loca obseruent, neque pro deperditis rebus incantationes adhibeant, sub pœna excommunicationis ipso facto Nobis reseruatæ. Atque hæc tria vltima decreta bis in anno, scilicet Dominica prima Aduentus, & Dominica prima Quadragesimæ frequenti populo inter Missarum solemnia Parochi publicare, ac vernacula lingua explicare teneantur, cum Edicto, vt supra, &c. Tit. 2. c. 1.

TITVLVS OCTAVVS.
De Diuino cultu, & Sacris Cæremonijs.

Caput Primum.

Diuinam Maiestatem non solùm de interiori humani cordis obsequio, verùm etiam de exteriori cultu, certisque Cæremonijs valde delectari, haud dubium. Hinc Hæbreo Populo ad cognitionem

vene-

venerationemque veræ Diuinitatis selecto (cuius tamen Templum, sacrificiaque nil sacri continebant præter esse vmbram futurorum in lege gratiæ) vestimenta Leuitica, Sacerdotalia, & Pontificalia delineare; insuper ritus, & cæremonias sacrificiorum, festorumque præscribere, non dedignatus est ipsemet Deus; Ecclesiastici itaque omnes in hoc omnem adhibeant diligentiam. Munditiem in vestibus præferant, ac cæremonias Ecclesiasticas perfectè callere studeant. Quapropter qualibet hebdomada, die à Magistris cæremoniarum præscribenda per horæ spatium Congregatio de Sacris Ritibus peragatur, ac Capitulum aliquod ex Cæremoniali explicetur, practicèque exerceatur: vel saltem in collationibus conscientiæ casuum, vt infra faciendis, rituum, ac cæremoniarum Missalis, & Breuiarij Romani lectio habeatur, & disceptationes misceantur, sub pœna vnius caroleni pro qualibet vice. Ac proinde quilibet Clerus ad summum infra duos menses emendum curet expositiones super easdem Rubricas, & Ritus; opus Bartholomæi Gauanti Clerici Regularis Sancti Pauli; Corsettum de Cæremonijs, ac Directorium Chori, & in armario Sacristiæ custodiantur per Procuratorem pro ipsorum vsu, & commoditate; & in Capitulo nostræ Cathedralis, vltra prædicta, adsint insuper Cæremoniale nouissimum Episcoporum, & Cæremoniale Castaldi sub pœna arbitraria.

Caput Secundum.

Et vt omnia in Diuino cultu, sacrisque cæremonijs felicem, ac desideratum sortiantur effectum, in vnoquoque Clero semper adesse vnum saltem cæremoniarum Magistrum, & in nostra Cathedrali duos, vnum Canonicum, alterum Sacerdotem participantem statuimus: quibus omnes de Clero in ijs, quæ ipsorum concernunt officium, exactam præstare obedientiam teneantur: ac proinde facultatem ipsis facimus, eas infligendi pœnas inobedientibus, quas defectibus consentaneas iudicauerint, etiam carceris, quoad Clericos, & recentiores Sacerdotes deficientes. Ipsi verò cæremoniarum Magistri, omni, qua decet diligentia, officium suum adimpleant, scientes defectus omnes, qui euenerint, Nos ipsorum negligentiæ tributuros, pœnamque ab illis exacturos parem summo nostro desiderio, quod in sacris cæremonijs, eo, quo par est, Ecclesiastico decore complendis, nihil penitus desiderandum remaneat; scriptum est enim: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.*

Caput Tertium.

Presbyteri, & Clerici, qui superpelliceo, siue alba immunda, vel lacerata vtentur, pro qualibet vice tribus ceræ laboratæ libris ipsi Ecclesiæ applicandis, mulctentur; vel in eius defectu, carceris pœna puniantur.

niantur. Sacrista, qui ornamenta Ecclesiastica, vel malè habita, vel conscissa, aut corrosa videbit, & superiori non deferet (qui statim iuxta indigentiam prouidere debebit) pœnæ carceris per mensem subiaceat. Vestes, vasa, & alia ornamenta sacris addicta, profanis hominibus, aut ad profanum vsum commodare non præsumant, sub pœna excommunicationis quoad laicos, & suspensionis quoad Clericos.

TITVLVS NONVS.
De obseruantia Festorum.
Caput Primum.

NOn sine maxima nostri cordis amaritudine reperimus, in plurimis huius Diœcesis locis vix inter festos, & non festos dies discrimen aliquod dignosci, adeò illorum obseruantia, & celebratio obsoleuit. Vt autem festis debitus adhibeatur cultus (qui à media nocte antecedente vsque ad mediam noctem sequentem Christifideles obligat) in Domino omnes hortamur; non tantum, vt Missas (præcepto alio satisfacturi) integrè audiant; verùm etiam, vt Ecclesias Parochiales, quoad fieri potest frequententent; in hisque Missæ maiori, alijsque Diuinis officijs assistant. Abstineant præterea (vt tenentur) à quolibet opere seruili, nisi aut necessitas, aut pietas, aut publica vtilitas aliud suadeat; in quibus tamen casibus adhuc est petenda licentia, nec propria authoritate eam sibi vsurpare præsumant.

Caput Secundum.

Licentiam verò in casibus permissis, gratis, vbi nostra Curia non residet, concedere valeant Vicarij foranei, & ipsis absentibus, Archipresbyteri, ea tamen conditione adiecta, ne sacri auditio prætermittatur. Casus verò permissi exprimuntur in literis Sacræ Congregationis, & declarationibus in nostro Edicto, vt in appendice subnectendis; Transgressores autem pœnam trium librarum ceræ albæ laboratæ pro qualibet vice subire cogant: at vendentes, siue negotiantes, amissionis rerum venalium; quarum pœnarum Ecclesijs Parochialibus applicandarum, executores tantùm participes esse possunt, iuxta labores in captura, & alijs diligentijs, ad summum in carolenis tribus, iuxta nouam Taxam Innocentianam. Qui verò verbis, vel factis dictos executores ausus fuerit offendere, sit ipso facto excommunicatus. Confessarijs verò mandamus, ac inhibemus, nè absque nostra speciali facultate Sacramentaliter absoluant eos, quos per sex vices festa violasse competerint.

Caput Tertium.

Executiones personales, siue reales, nullo pacto, prætextuque in causis ciuilibus fiant his diebus, sub pœna excommunicationis, etiam pro solutionibus fiscalibus, vel Curialibus, neque litigantium citationes; cùm zelantium Curatorum relatione, & experientia cognouerimus, huiusmodi molestiarum metu à conueniendo in Ecclesijs populum detineri, & præcepto audiendi Missam non satisfacere. Et quia, hanc damnabilē corruptelam in quibusdam locis altas fixisse radices, compertum est; ad eas omninò euellendas (indecens enim valde est: imò à Christiana pietate prorsus alienum, vt cum multis hebdomadæ diebus cogi homines possint reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari;nec vno quidem sinantur liberè reddere quę sunt Dei, Deo) Idcirco in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus Vicarijs foraneis, & vbi non resident, Archipresbyteris, vt hoc Synodale decretum Gubernatoribus, Iudicibus, Vniuersitatibus, Executoribus, & alijs, ad quos spectat, statim notificent: superque illius obseruantia sedulò inuigilent, ac de quolibet transgressionis actu infra biduum Nos certiores reddant, aliàs acriter à Nobis puniendi.

Caput Quartum.

Hisce pariter diebus festis iuramenta nè præstentur, nec exigantur in iudicio. Quæ verò præstari contigerit in contractibus, prohibentur fieri sine licentia, etiam sub pœna nullitatis contractus. Hæc autem pro Ruralibus de facili concedatur, vt Sacra Congregatio censuit respondendum Episcopo Gallipolitano 26. Iunij 1590. *Li poueri, che li giorni festiui sono fuori nella campagna per lauoro, possono li giorni festiui doppo gli officij fare li loro contratti.*

Caput Quintum.

Circulatores, & huius generis Nebulones, ridicula, aut vana spectacula non exhibeant (etiam prætextu medicamina vendendi) diebus festis, ferijs sextis, Quadragesima, & Aduentu Domini, nec in conspectu nostræ Cathedralis, vel aliorum locorum Matricis Ecclesiæ, sub pœna ceræ albæ librarum decem, aliaque nostro arbitrio. Calendarium autem dierum festorum ex præcepto Sanctæ Matris Ecclesiæ, & ad præscriptum Bullæ Vrbani VIII. in nostra Ciuitate, & Diœcesi Triuentina obseruandum, infra in Appendice tradetur, vnà cum aliquibus decretis, seù declarationibus Sacræ Congregationis, & Edicto pro eorundem festorum obseruantia, suo loco, & tempore à Parochis publicando: qui quidem docere debent fideles, ideò sacros hos dies ab operibus seruilibus immunes esse iuberi, vt in Sacrorum Mysteriorum me-

dita-

ditatione, Diuino cultu, & pietatis operibus transigantur; & propterea multò cautius abstinere eos debere à choreis, ludis, commessationibus, ebrietatibus & similibus operibus carnis, quæ in diaboli seruitutem inducunt; & nè populi præsertim rudiores ignorent, quos dies sanctificare oportet; eisdem præcipimus, vt diebus Dominicis intra Missarum solemnia dies festos hebdomadæ sequentis annuncient; similiter pridie diei festi post signum Salutationis Angelicæ, campanas omnes pulsare curent, vt eo sonitu populi, & solemnitatis admoneantur, & ad Diuinum cultum feruentiùs excitentur.

TITVLVS DECIMVS.
De Ieiunio, & Indulgentijs.

Caput Primum.

NOstri primi parentes, iuxtà Diui Basilij sententiam, quia præceptum de ieiunio sibi imposito non obseruarunt, à Paradisi gaudijs exularunt; vndè Paradisum per ieiunij obseruantiam Nobis adeũdum est. Ipsum enim mentem purgat, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, concupiscentiæ ardores extinguit, charitatis lumen accendit, & tandem ad æternas Cœli delicias perducit. Ieiunium itaque, quod à Sancta Matre Ecclesia pro animabus, corporibusque curandis salubriter institutum est, tota deuotione celebrare, & obseruare debemus. Hinc Parochis omnibus strictè præcipimus, vt populis sibi creditis hanc veritatem aperiant, quod scilicet, sicut sæpius ieiunare, tum animæ, cum corporis remedium est; ita non ieiunare, quando vrget præceptum, nempe in Quadragesima, Quatuor anni temporibus, & Vigilijs omnibus, graue peccatum est, quod multis de facto in inferno exclamare facit: *Quia non ieiunauimus à Paradisi gaudijs exulamus*. Annuncient igitur inter Missarum solemnia Dominicis diebus ieiunij dies ex præcepto infra hebdomadam occurrentes, & pridie circa primam noctis horam campanæ pulsatu per quadrantem saltem talis ieiunij obseruantiam sub pœna trium aureorum omnibus indicant.

Caput Secundum.

Edictum pro Quadragesimæ obseruantia à Nobis aliàs editum, & in Appendice huius Synodi appositum, hac Synodali Constitutione roboramus, illudque Parochi Dominicis Quinquagesimæ, & Quadragesimæ in Missis solemnibus publicent, & super illius obseruantiam inuigilent, & quos transgressores compererint, Nobis denuncient, vt pœnis in Edicto, alijsque arbitrarijs pro qualitate culpæ ipsos coercere possimus: Et præsertim in præfata Dominica Quinquagesimæ populos admoneant, vt post transactam mediam noctem, diem Cinerum

præ-

præcedentem à Bacchanalibus omninò abstineant; ad quem effectum circa eandem mediam noctem, grandiorem Ecclesiæ Parochialis campanam saltem per quadrantem pulsari faciant, qua omnes præmoniti veniant iam aduenisse tempus pœnitentiæ ad redimenda peccata, ad saluandas animas. Quòd si quis post dictum campanæ sonum adhuc in commessationibus, ebrietatibus, & impudicitijs permanserit, loca clamoribus circumierit, choreas duxerit, laruatus incesserit, indignationem omnipotentis Dei, & Ecclesiasticum interdictum ipso facto se nouerit incurrisse.

Caput Tertium.

Indulgentiæ, idest pœnarum remissiones nostris culpis debitarum, sicut de inexhauribili Ecclesiæ thesauro, ex infinitis scilicet Redemptoris nostri Iesu Christi, & Sanctorum omnium meritis, à Christi Vicario, benignè, & prouidè in animarum subsidium dispensantur; ita à Christifidelibus auido, & hilari animo amplectendæ sunt, & opera, quæ ad ipsas lucrandas imponuntur deuotè, & exactissimè exequenda. Vt igitur earundem æstimationem retineant, & simul quæ ad eas lucrandas præstari oportet, non ignorent; strictè iniungimus Parochis, & Concionatoribus, vt in sermonibus, quos ad populos suæ curæ commendatos habuerint, earum essentiam, & virtutem ipsis exponant; dispositionem, quę in omnibus generaliter requirunt, explicent; opera, quę sigillatim præscripta sunt, recenseant, & declarent, ac desiderium eas lucrandi in ipsismet accendant. Ad quem effectum, breuem instructionem vulgari sermone pro maiori Nobis commissæ plebis intelligentia, & fructu, huius Synodi Appendici adnectemus.

Caput Quartum.

Cùm autem propter vrgentem aliquam Christiani Orbis necessitatem à Summi Pontificis pietate, ac liberalitate vniuersale Iubilęum prodierit: ad Ecclesiam Cathedralem in Ciuitate, & ad Parochiales in Diœcesis locis præcedenti die Dominico populus congregetur, & ad eum inter Missarum solemnia sermo per proprium Parochum, vel per alium virum idoneum habeatur, in quo eius Iubilęi causa, & ratio explicetur, ac fideles excitentur ad rectè, & ritè præstanda ea, quæ Summus Pontifex ab eis requirit; vt & ipsi bonis spiritualibus repleantur, & Ecclesia optatum beneficium consequatur. Nouæ verò Indulgentiæ nullatenus sine nostra licentia, nec etiam à Regularibus sub quouis prętextu publicentur; quæ verò ritè promulgatæ sunt, neminem lateant; ac proindè Parochi, seù Rectores Ecclesiarum in valuis ipsiusmet Ecclesiæ Tabellam, in qua literis maiusculis scriptum sit [INDVLGENTIA PLENARIA] diebus proprijs exponent, ex-

presse prohibentes, nè Breuia originalia parietibus, aut alibi appendantur.

TITVLVS XI.
De Sacrosanctis Ecclesijs.
Caput Primum.

CVm Dei domum deceat sanctitudo; Præcipimus, vt ad Ecclesiam sit humilis, & deuotus ingressus: omnes aqua benedicta lustrati ambabus genibus flexis statim sanctissimum Eucharistię Sacramentum reuerenter adorent. Dum Missæ tremendum mysterium peragitur, verbum Dei prædicatur, Diuina persoluuntur officia, in Ecclesijs spatiari, & deambulare, ac confabulari nemini liceat. Prohibemus etiam in eis vana, & profana colloquia, clamores, rixas, seditiones, & tumultus sęculares, conuentus, iudicia, commessationes, puerorum scholas, præterquam Doctrinæ Christianę: insuper sedere, terga vertendo Sanctissimę Eucharistię, Altaribus incumbere, aut super illa pileos ponere, siue aliud facere, vel scribere, vel eorum scabellis, & sedibus confessionalibus assidere, aut fontibus aquę benedictæ, & baptismalibus inhęrere. Qui verò in prædictis, vel aliquo ipsorum, vel similium delinquere deprehendetur, pœnam subeat pro qualibet vice duarum librarum cerę laboratę, eisdem Ecclesijs applicandarum, & alias nostro arbitrio pro qualitate irreuerentię vsque ad Ecclesiasticas censuras inclusiuè. Cùm autem Ecclesia sit Dei locus, & vt Propheta ait: ***Factus est in pace locus eius***; omnia in ea pacificè peragi oportet, nullumq; armorum strepitum permitti. Nemo igitur cum bellicis tormentis (pręcipuè Diuinorum officiorum tempore) in eam ingredi pręsumat sub pœna excommunicationis. Demum in Ecclesijs sedilia serica, vel coriacea, vel similia pro laicis, nisi pro viris iurisdictionis, aut Dominis loci dignitate conspicuis non admittantur; quę tamen à Presbyterijs omninò arceantur sub pœna Ecclesiastici interdicti introducentibus, & assidentibus, & suspensionis à Diuinis Ecclesiarum Rectoribus permittentibus, seù non contradicentibus: scamna simpliciter permittimus temporibus concionum ad Rectorum arbitrium collocanda. Prohibemus insuper sub eisdem pœnis suppedanea omnimodè pro quauis persona laica cuiusuis dignitatis laicalis existat; cùm hæc vsurpationem quandam iurisdictionis sapiant in Ecclesia. Edictum circa venerationem, ac honorem debitum Ecclesijs ex Bullis Pontificibus desumptum in Appendice apponendum publicari curent Parochi diebus ibidem pręscriptis sub pœna ibi apposita. Decreta Sacræ Congregationis prohibentia personis sæcularibus osculum Euangelij, vsum Baldachini, & assistentiam in Presbyterio renouata, & Typis

edita

edita 13. Martij 1688. omninò obseruentur, sub pœnis ibidem, &c.

Caput Secundum.

Altaria sint omnia lapidea, & in superficie perfectè complanata. Altare portatile sit congruæ magnitudinis, vt calicem saltem, & hostiam cum particulis consecrandis commodè continere valeat: nec sit minoris longitudinis vnius palmi cum dimidio; & latitudinis vnius palmi cum quarto; idque sic Altari inseratur, vt paululum à superficie superegrediatur quantum sufficit, vt à celebrante facilè cognoscatur, & effusionis pericula euitentur. Vnumquodque autem Altare vmbellā, seù baldachinum, vt vocant, desuper Iconem habeat tantæ longitudinis, & latitudinis, vt Altare, & Sacerdotem celebrantem cooperiat, & securiùs, & decentiùs Missæ sacrificium peragatur; habeat suppedaneum scabellum ligneum, quod pradellam dicunt, eiusdem longitudinis cum Altare, latitudinis verò ad minus trium palmorum, & altitudinis dimidij palmi: habeat & ornamenta necessaria, nempe tres mappas lineas cooperientes totam planitiem Altaris, quarum superior ita sit longa, vt per Altaris latera, vsque ad pradellam pertingat, imò aliquantulum excedat. Item ad minus duo candelabra æqualia, Crucem, Secretarum Tabellam, Euangelium Sancti Ioannis in fine Missæ dicendum, Tabellam cum Psalmo *Lauabo*, Pallium, & Puluinar, sub pœna interdicti ipsius Altaris. Sit & tela viridis, seù alterius coloris ad cooperiendum illud post Missarum celebrationem, nè puluere, alijsque sordibus mappę inquinentur, sub qua tela apponantur Tabellæ Secretarum, In principij, & Lauabo. Armariolum denique, vel saltem parua fenestra prope Altare, non tamen intra ipsum, à cornu Epistolæ constituatur ad peluim cum vrceolis reponendum; locusque, vel saltem clauus pro Bireto Sacerdotis apponendo.

Caput Tertium.

Mandamus insuper, vt de cętero in Ecclesijs non ædificentur Altaria, quæ non distent ab inuicem saltem per decem palmos, nè cum in eis Diuina peragantur, vnus Sacerdos alium turbet. Vbi verò hactenus propiùs ædificata reperiuntur, Missæ non simul in eis celebrentur, sub pœnis nostro arbitrio reseruatis. Interdicimus autem Altaria omnia, quæ Maiori sunt aduersa.

Caput Quartum.

Rectores, Magistri Ecclesiarum, vel alij quicunque non audeant propria authoritate aliquid noui in Ecclesijs ædificare, vel pingere, seù ædificari facere, vel pingi, aut inscriptiones ponere in sepulchris, vel in alia Ecclesiæ parte, aut fenestras de nouo aperire absque nostra,

vel nostri Generalis Vicarij approbatione, & licentia. Nec nouas Cappellas, vel Altaria ædificare, vel erigere, vel alteri concedere, sub pœna nullitatis concessionis eo ipso, & alijs nostro arbitrio. Idem omninò statuimus in sepulturis; quæ prope Altaria nullatenus fiant, nisi ab eorum scabellis saltem per duos cubitus distent; taliter autem iam extructas, statim obstrui decernimus; sicut & fenestras prospicientes intra Ecclesiam, vel Cappellas, sub pœna Ecclesiastici interdicti. Vt autem pro omni futuro tempore decori domus Dei prouideatur, hac Synodali Constitutione statuimus, nemini in posterum licere, Ecclesiam aliquam, quantumuis angustam ædificare, qui priùs ipsimet non assignauerit dotem annuam scutorum, saltem quindecim, vel etiã maiorem, pensata Ecclesiæ magnitudine. Similiter Altaria non erigi, nisi post assignatam dotem trium saltem ducatorum annuam, quæ dotes sint certę, & liberæ, ac instrumento publici Notarij confecto cautelatæ cum inserta facultate à Nobis, vel nostro Vicario Generali concessa.

Caput Quintum.

Nihil immundum, & profanum Ecclesiarum parietibus adhæreat: Tectum non sit pluuiosum. Pauimentum sit integrum, & æquale; nec pro sepelliendis mortuis effodiatur, vel deformetur, sub pœna Ecclesiastici interdicti ipso facto. Ecclesiæ collapsę, vel ruinam minantes, sumptibus Parochianorum (si sint Parochiales) reficiantur. Patronatæ autem sumptibus Patronorum, & circa hoc seruetur ad unguem Decretum Concilij Tridentini sess. 21. cap. 7. de Reformatione. In Ecclesijs autem dirutis, Crucis signum figatur, ex eiusdem Concilij sanctione, quod facilè amoueri non possit. Lapides verò, cæmenta, cæteraque materialia ad alium vsum non applicentur sine nostra speciali licentia sub pœna excommunicationis.

Caput Sextum.

Sacristia armaria habeat necessaria ad ornamenta Ecclesiæ decenter conseruanda, in cuius remotiori parte locus aptus, in quo Sacerdos ante, & post Missę celebrationem orare possit, destinetur cum genuflexorio, & tabella, seù charta orationum ad pręparationem, & gratiarum actionem ordinata; lauatorium quoque cum manutergio ad manus abluendas, abstergendasque; Tabella, aut chartula cum orationibus recitandis à Sacerdote, dum sacris induitur, itaut commodè legi possit. Sint prętereà in Sacristia alię tabellę appensę, in quibus Confessariorum, aliorumque Sacerdotum, & Clericorum nomina, vnà cum singulorum dignitate descripta sint. Adnotentur insuper Sanctę Reliquię in illa Ecclesia existentes, & Indulgentiæ eidem concessæ, casusque

ſusque Nobis reſeruati, necnon Inuentarium omnium ſupellectilium. Sint pariter deſcripti certi dies, in quibus per annum varia decreta, tum Sacri Tridentini Concilij, tum Pontificia, & tandem Synodalia populo explicari debent.

Caput Septimum.

Quælibet Eccleſia habeat ad minus duos Calices; octo Purificatoria, in quibus Crux appareat in medio; quatuor Corporalia, duobus palmis ad minus ampla; vrceolos; peluiculas; manutergia; tintinnabula pro Altarium in ea exiſtentium numero; vmbella, ſeù baldachinum portatile; puluinaria diuerſorum colorum; ferrum congruè ſignatum ad hoſtias pro Miſſæ ſacrificio conficiendas; Thuribulum, & nauiculam; candelabrum pro hebdomada Sancta; feretrum; Miſſalia moderna; Ritualia; paramenta quinque colorum, nempè rubei, albi, viridis, violacei, & nigri: quoſcunque alios non Eccleſiaſtici coloris interdicentes.

Caput Octauum.

Omnis Sacriſta nitidè, & à qualibet ſorde munda conſeruare omnia teneatur ſub pœna carceris. Ad Eccleſiam autem verrendam Clericos ſaltem hebdomadarios adhibeat; quòd ſi renuerint, Coadiutorem ad id explendum eorum expenſis adſciſcat. Sacriſta (ſemper ac fieri poteſt) eligatur in ſacris conſtitutus, eiuſque officium duret per annum, ac nemo in poſterum ad Sacerdotium promouebitur, niſi fidem afferat, ſe huic muneri ſatisfeciſſe, vel per ipſum non ſtetiſſe. Claues Eccleſiæ, vel à Rectore, vel ab eodem Sacriſta diligenter ſeruentur, qui nec tradat eas alicui, abſque Rectoris expreſſa licentia ſub pœna excommunicationis, alijſque arbitrarijs. Campanæ autem non permittantur pulſari ad ſupplicij ſignificationem, Dominorum temporalium aduentum, & ſimilia, ſub pœna interdicti Eccleſiaſtici contrafacientibus, & mandantibus, iuxta decretum Sac.Congreg. Turres, in quibus campanæ ipſæ ſunt, ita cuſtodiantur, vt non omnibus in illas ingreſſus pateat, ac proindè claue apud Sacriſtam conſeruanda claudantur; nec in illis collocentur campanæ nouiter fuſæ; nec vſui Eccleſiaſtico deputentur, niſi à Nobis, iuxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ benedictæ fuerint.

Caput Nonum.

Cæmeteria, vbi non ſunt, ædificentur, iuxta decreta in Sancta Viſitatione edita, muro debitæ altitudinis vndique ſepiantur, oſtio ligneo, ſerà ferrea, & claue occludantur, quæ penes Sacriſtam ſeruentur. Non ſint montuoſa, ſed complanata. Defunctorum oſſa non ſint recenter

exhumata, nec ossium fiat congeries. In medio Crux lignea competentis magnitudinis figatur: vites, arboresque quæcunque inde extirpentur, nec ibi vnquam aliquid feratur, & si fœnum fuerit, statim succidatur, sub pœnis ad nostrum arbitrium.

TITVLVS XII.
De Immunitate Ecclesiastica, Ecclesiasticarum Personarum.

Caput Primum.

ECclesias, locaque sacra, vtpote Diuini Regis Regum Palatia omnimoda immunitate gaudere, dignum, & iustum est. Hanc Sacri Canones, ac Generalia Concilia magnoperè stabilire curarunt. Quæ verò ab illis sparsim sancita fuerunt, fel. record. Gregorius XIV. celebri illa constitutione, incipiente *Cùm aliàs*; ad vnam tantum formam redegit, quam & Nos inuiolabiliter seruari mandamus. Nemo igitur, siuè Officialis cuiusuis gradus, præeminentiæ, officij, aut dignitatis existat, siuè persona priuata libertatem, & immunitatem Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque sacrorum locorum, quæ etiam ad eorum atria, domos, locaque illis adiacentia extenditur, licet dictæ domus habeant ianuas à parte viæ publicæ, quoquo modo violare, ledere, aut infringere audeat, præsertim ab eis extrahendo, vel abstrahere nitendo, siue reos, siue alias personas obiter in eisdem repertas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sanctæ Sedi Apostolicæ reseruatæ, ex decreto Sacræ Congregationis Episcoporum Tropeen. 9. Octobris 1608. à qua non excusatur, qui minis, vel blanditijs curauerit, vt Rei, exeundo à dictis locis immunibus sponte se offerant in eius, vel aliorum manibus, & inde carcerati, vel quomodolibet offensi fuerint: imò nec si id faciat ad bonum finem, pro pace scilicet componenda, vel pro vitando aliquo scandalo; in huiusmodi enim casibus est recurrendum ad Nos, prouisuros, prout magis expedire videbitur. Quam excommunicationem (Nobis tamen reseruatam) extendimus ad quoscunque consilium, auxilium, & fauorem præstantes. In casibus tamen permissis aliquem extrahendi, forma in eadem Constitutione præscripta seruetur, cuius Summarium vulgari sermone pro omnium notitia in Appendice huius Synodi apponetur.

Caput Secundum.

Et vt debita reuerentia præstetur Ecclesijs, quarum decorem debemus magnoperè diligere, prohibemus ad illas confugientibus, intra

eas

eas cum lectis dormire, ligna accendere, cibos coquere, commessationes facere, cum armis residere, aut aliud indecens, & profanum peragere, vel Clerum in Diuinis officijs impedire, aut populum terrere, vel perturbare, sub pœna excommunicationis, ammissionis armorum, & alijs arbitrio nostro. Vltra triduum verò nemo ex Ecclesiasticis audeat banditos, & facinorosos in suis Ecclesijs detinere, sed illos statim moneat, vt post dictum terminum aliò diuertant, quod si renuant, Nobis significet, vt opportunis vtamur remedijs, iuxta mentem Sacræ Congregationis expressam in literis sub mense Augusti 1627. Occisorum cadauera in locum sacrum non inferantur, priusquam Iudices ex eorum inspectione, cædis, quam solent, notitiam capiant. Et si illata fuissent, aliò recognoscenda non transferantur sine nostra licentia sub eisdem pœnis; & postquam inspecta fuerint, reportentur, & sepulturæ tradantur.

Caput Tertium.

Ecclesiasticos etiam omnimoda immunitate gaudere, tam quoad personas, quam quoad bona, omnia iura clamant; eamque inuiolatam, ac prorsus illæsam seruari curandum est. Et quidem quoad personas, cum hæ laicali potestati nullo pacto subijciantur; præcipimus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nè officiales laici, Capitanij, Iudices, Actuarij, Birruarij, cæterique Ministri Clericos vti laicos capere, vel capi facere, vel illis habitum, aut Bullas auferre, & nè captos in suis carceribus detineri audeant: nec non ad id mandatum, auxilium, consilium, & fauorem præstare, nisi in casibus permissis, & eos vero animo ad Nos remittendi, ac statim nostris Ministris consignandi, quod debent cum effectu exequi infra spatium ad summum viginti horarum: idque omni qua decet decentia, ob reuerentiam status; Et si aliquando contigerit, eos etiam iniustè capi; non liceat illos liberè dimitti ab ipsis, sed Nobis, vel nostris Ministris consignent sub eadem pœna.

Caput Quartum.

Cùm sępè accidat Notariorum, siue Actuariorum malitia (dùm pro verificandis delictis testes examinant) vt si quis reus ab ijsdem testibus Clericus nominetur, ipsi Clericum in actis non nominent, nec in examine scribant, sed vt laicum; ex quo (vltra falsitatem, quam perpetrantur) maximum, & Ecclesiasticæ iurisdictioni, & Ecclesiasticorum immunitati infertur detrimentum; cùm deinde per ambages, & partium sudores, ac dispendia probandum illi sit, quod iam probatum foret: idcirco, vt tam execrabili sceleri, quantum in Nobis est, opportuno occurramus remedio, declaramus huiusmodi Notarios,

& Scribas incidiſſe in cenſuras a ſacris Conſtitutionibus, & præcipuè in proceſſu Bullæ Cœnæ inflictas contra Eccleſiaſticam immunitatem perturbantes, Eccleſiaſticosque ad laicalem forum trahentes : adeout à nemine, prꝛterquam a Romano Pontifice abſolutionis beneficium obtinere valeant. Quod Reuerendi Confeſſores, tam ſæculares, quam Regulares firmiter memoria teneant, & talis profeſſionis viros initio confeſſionis de tali ſcelere interrogent, vt, ſi illos inquinatos repererint, à ſe expellant. In easdem cenſuras declaramus incidere ad id mandatum, aut conſilium dantes.

Caput Quintum.

Nonnulli homines aliquando videntur Tigribus ſęuiores, qui non valentes Clericos directè perſequi, indirectè in eorum vindictam, odium, & inuidiam hoc ſcelus admittunt, ſæuientes in Agentes, Procuratores, conſanguineos, affines, & huiusmodi charos, vel in eorum bona, carcerando, banniendo, & quouis alio modo moleſtando. Huiusmodi peruerſos, necnon conſulentes, fauentes, & mandantes, ſententia excommunicationis, cum caſus euenerit, ipſo facto innodatos eſſe volumus. Et qui ſimilia faciunt in odium exercentium iuriſdictionem Eccleſiaſticam ordinariam, ad hoc vt eius executionem impediant, ſicuti etiam, qui ad noſtram Curiam recurſus, ſiue Clericorum, ſiue laicorum in cauſis tam ciuilibus, quàm criminalibus ad noſtrum forum ſpectantibus impediunt, iam excommunicatione feriuntur in Bulla Cœnæ; quam Nos extendimus, etiam contra ſimili modo impedientes iurisdictionem Eccleſiaſticam delegatam. Deplorandus demum miſerrimus damnationis ſtatus illorum, qui nihili facientes Eccleſiaſticas cenſuras, non erubeſcunt perſonas Eccleſiaſticas ab eorum Terris varijs artificijs expellere, aut de bonis Eccleſiaſticis ſuo arbitratu diſponere.

Caput Sextum.

Quoad bona autem eorundem Eccleſiaſticorum, in primis domus, quas tanquam proprias incolunt (vt Deo, ſibique vacent) ab omni ſuſpitu ſeruitutis laicalis, & munerum immunes eſſe debent. Mandamus igitur Syndicis, & Electis, ac cuicunque Officiali temporali, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, nè audeant Milites, vel latellites in eorum domibus hoſpitandos deſtinare, licet Clerici cum laicis cohabitent; cùm in hoc caſu ipſi laici, nonniſi ad contributionem hoſpitationis teneantur pro ſeipſis tantùm.

Caput Septimum.

Immunitate prꝛterea pro ſuis animalibus ab immemorabili tempore

re, & iuxta Sacros Canones, & Sacræ Congregationis rescripta Clerici perfruuntur, vt scilicet ad damni illati ab illis refectionem tantùm teneantur, & non ad pœnam: quòd si hanc Baiuli, alijque Officiales laici exigere præsument, excommunicationis gladio feriuntur. Quòd si quis Clericorum sponte, vel quouis alio modo huiusmodi pœnas laicis persoluet; vltra pœnam suspensionis ab officio, & beneficio, ad solutionem librarum centum ceræ albæ damnabitur. Cæterum ad damnum prędictum Ecclesiastici, eorumque animalium custodes non poterunt coram laico Iudice conueniri; vt declarauit Sacra Congregatio; si quis autem per se, vel per alios, quouis modo contrarium attentare ausus fuerit, & illos coram Iudice sæculari cogere, ad forumque laicale trahere, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, contra violatores Ecclesiasticæ immunitatis inflictam. Declarationes verò Sacræ Congregationis circa hoc sunt infrascriptæ: *Al Vicario d Otranto* 10. *di Giugno* 1588. *si reproua l'ordine, che facendo danno gli animali de' Chierici, e trouati dalla Corte secolare, si paghi certa pena, della quale parte s'applichi alla Corte Arciuescouale, e parte alla secolare, essendo ciò contro la libertà Ecclesiastica.* Item *Al Vescouo di Cariati* 28. *di Nouembre* 1594. *le Persone Ecclesiastiche, ancora per danni dati da' loro animali, deuono essere conuenuti auanti al Vescouo.*

Caput Octauum.

Clericos non solùm pro bonis patrimonialibus, & ijs, ad quorum Titulum Sacros susceperint Ordines: verùm etiam ratione bonorum ab ipsis emptorum, vel sibi donatorum immunes esse, tam ex decretis Sacrorum Canonum, & Doctorum sententijs, quam ex declarationibus Sacræ Congregationis infra adnotandis, clarè dignosci potest: adeout neque ad eorum bonatenentiam teneantur. Declarationes autem sunt: *Episcopo Polian. die* 25. *Ianuarij* 1619. *Cùm Vniuersitas Ciuitatis Politanensis, vt æs alienum ducatorum centum mille solueret, Presbyteros ad soluendum omnium bonorum suorum, non autem patrimonialium, bonatenentiam cogere posse, per Sacram Congregationem facultatem sibi impertiri supplicasset: Sacra Congregatio petitionem hanc, vtpotè Sacris Canonibus de directo contrariam reiecit.* Item 20. Decembris 1619. *Al Vicario di Bari, che difenda il Capitolo della Cattedrale dalla molestia de' Ministri Regij per il pagamento delle collette pro bonis emptis, & donatis.*

Caput Nonum.

Vectigalia igitur exigentes moneantur à Parochis, etiam inter Missarum solemnia, nè à Personis Ecclesiasticis gabellas, collectas, decimas, aliaue cuiusuis generis, & nominis, laicalia onera, exactiones, aut impositiones exigere audeant sub excommunicationis pœna ipso

iure in Bulla Cœnę Domini inflicta. Clerici autem, qui dicta onera, etiam sponte soluerint, vel gabellæ se subiecerint; præter pœnas, & censuras à iure statutas, per tres menses carceris pœnam subibunt; cùm eis haud liceat renunciare priuilegijs Clericalis status: adeout, neque per viam eleemosynæ ad onera Vniuersitatis subleuanda aliquid impertiri possint: vt Sacra Congregatio Episcoporum Squillacensis 21. Maij 1598. *Gli Ecclesiastici non contribuiscano alle grauezze della Città, neanco per modo di elemosine.* Neque tandem ab eis contribuendum est pro salario Physici, Chirurgi, ludi Magistri, quando ære publico sunt conducti, ex rescripto Sacræ Congregationis Episcopo Polian. 2. Augusti 1619 videlicet: *Petente Vniuersitate Lauretana, Ecclesiasticos ad solutionem onerum pro Physico, Chirurgo, & ludi Magistro impositorum, attento, quòd illorum opera vtuntur, obligatos esse declarari? Sacra Congregatio negatiuè respondit.* Denique quod bona hospitalium, & Confraternitatum ijsdem potiuntur priuilegijs, sic Sacra Congregatio rescripsit Vicario Barensi 30. Iunij 1617. scilicet: *Che non si facci molestare la Confraternità del Santissimo Corpo di Christo della Terra di Grumo dalli Ministri laici per la fida, che pretendono di trenta vacche, che detta Confraternità tiene.*

TITVLVS XIII.

De Bonorum Ecclesiasticorum administratione, & Inuentarijs, ac de Decimis.

Caput Primum.

DEplorabilis planè fidelibus (si fidei inimicis ludibriosus) est status quamplurium nostræ Diœcesis Ecclesiarum; quæ cùm non pauca bona possederint; imò, & possideant: cernuntur tamen sinè pauimento, sinè tecto, sinè necessarijs ornamentis, non habentes, quo paucas emant candelas ad Missarum celebrationem, nec oleum ad Sacrosanctam Eucharistiam illuminandam, minitantes vndique ruinas, vndique scatentes sordibus; itaut animalium stabula (proh dolor) Dei habitaculis saniora, ac decentiora appareant. Insuper in hospitalibus, alijsque locis pijs ad remedium miserabilium personarum institutis, nec minimum quidem operum pietatis officium intuetur, licet ad illa exercenda non contemnendos habeant redditus. Quod totum ex mala eorundem bonorum administratione (nè dicamus dilapidatione) procedere, haud dubium est. Nihil itaque Nobis magis fuit, aut est cordi, quàm huic damno, Deo, hominibusque infenso, opportunè pro virium imbecillitate occurrere, vt etiam malis omnibus occur-

curramus, quæ ob talem pessimam administrationem, detentionem, & vsurpationem Ecclesiasticorum bonorum, nedum domos, & familias, sed etiam Ciuitatem, & Oppida totius Diœcesis maximè affligunt, & ad destructionem, ac desolationem vsque perducunt.

Caput Secundum.

In primis itaque hac Synodali Constitutione confirmamus, & roboramus decretum illud in primo nostro Edicto Typis dato, emanatũ, quoad præscriptum Constitutionis Sixti V. incipientis: *Prouida*; omnibus Parochis, Beneficiatisque, quocunque titulo nuncupantur; necnon Hospitalium, Confraternitatum, Montium Pietatis, Monasteriorum Monialium, aliorumque piorum locorum, sub quouis nomine. Administratoribus pręcipimus sub pœna pecuniaria nostro arbitrio, & in subsidium suspensionis à Diuinis pro Ecclesiasticis, & excommunicationis pro sęcularibus; quatenus (si vsquemodo non confecerunt) statim ab huius Synodi publicatione, expensis eorundem locorum conficiant spatio duorum mensium noua, & distincta inuentaria bonorum omnium stabilium (quę Platea vulgò appellatur) manu publici Notarij, in quibus domos, agros, census, redditus, iura, actiones, onera, & cętera omnia ad pręscripta loca pia spectantia distinctè describant, iuxtà formam, & methodum in Capitulo 8. eiusdem Edicti appositam, cum approbatione, & subscriptione trium saltem testium, qui medio iuramento, se de omnibus plenè informatos, & ita esse testeutur. Quorum Transumptum vnum apud eorundem locorum Rectores, aut Administratores, vel Beneficiatos remaneat in archiuio Ecclesię, alterum verò ad Nos transmittant in Curię archiuio seruandũ. Quia autem hoc inuentarium omnium stabilium, iuxtà pręd ictam Sixtinam Constitutionem renouari debet tantùm de decennio in decennium; hinc aliud distinctum debet formari inuentarium omnium rerum mobilium, in quo omnia vasa sacra, vestes, ac omnis suppellex Ecclesiastica distinctè adnotari debet, & Nobis ostendi semper Sanctę Visitationis tempore; alia autem bona se mouentia possunt describi vel in vno, vel in alio inuentario ex pręd ictis, vel in proprio, & particulari distincto, iuxtà eorum numerum, & qualitatem, sicut fieri decernimus. Mandamus pariter, magnum fieri Codicem, in quo annuatim transcribantur per extensum computa omnia, & literę significatoriales, & absolutorię apud eosdem conseruandum, vt supra, sub pœna ad nostrum arbitrium contra transgressores.

Caput Tertium.

Cunctis innotescere volumus; in excommunicationem Summo Pontifici reseruatam in Bulla Cœnę, & in Decreto Sacri Concilij Triden-

tini omnes illos incurrere, qui vsurpant, aut sub quocunque prętextu, siuè per se, siuè per alios indebitè detinent Ecclesiarum, beneficiorum, vel cuiuscunque loci pij bona quælibet, iura, census, fructus, emolumenta, obuentiones, instrumenta, libros, ac cuiuscunque generis scripturas; necnon quomodolibet impedientes, nè præfata omnia ab ijs ad quos spectant, percipiantur; Parochis proindè iniungimus, vt particulam præfatæ Bullæ ad rem facientem, necnon præfatum Sacri Concilij Tridentini decretum in appendice apponendum, ad populi notitiam adducant Nos autem excommunicationi latæ sententiæ submittimus eos, qui huiusmodi vsurpatores, illicitos detentores, impedientes vt supra sciunt, & Nobis, aut nostro Vicario Generali, siue per se, siue per alios nostros Vicarios foraneos infra dies quindecim denunciare neglexerint.

Caput Quartum.

Administratores, vel Procuratores Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum eligantur ab his, ad quos spectat, cum assistentia tamen Archipresbyteri, vel Rectoris, aut Vicarij foranei, qui pro viribus curet, vt ad piam administrationem adsciscantur, qui rectiùs, ac fideliùs eam peragant. Nec taliter electi priùs administrent, quàm à Nobis, vel nostro Vicario Generali (gratis, vt decet) confirmentur, & approbentur, iuxtà decretum Sacræ Congregationis Episcoporum sub die 19. Augusti 1617. vel nomine nostro à loci Archipresbytero; iurentque se fideliter administraturos, ac rationem reddituros administrationis in fine anni Rationalibus à Nobis deputandis, sub pœna Ecclesiastici interdicti Nec ijdem reeligantur post annum, aut ij, qui non vacauerint ad minus per tres annos continuos, sine nostra expressa licentia, nè diuturnum aliquorum officium illis aliquod in pijs locis dominium videatur detulisse. Excludantur autem prorsus ab electione eorundem, vel aliorum piorum locorum debitores, aut eorum filij, maximè si debita ex administratione prouenerint. Similiter homines valde inopes, vel decocti; ac etiam, qui nimia auiditate, & ambitione talem administrationem procurant. Electio autem in posterum ad absurda euitanda fiat per vota secreta, iuxta decretum Sacræ Congregationis. Et nullus audeat ad electionem Procuratoris, seù administratoris alicuius Confraternitatis, vel Congregationis concurrere, & vocem dare, qui eidem Confraternitati, vel Congregationi non sit adscriptus, & earum leges, & constitutiones non obseruet, sub pœna Ecclesiastici interdicti, alijsque arbitrarijs. Electiones verò factæ contra prædictam formam, nullas, & inualidas ex nunc pro tunc declaramus, & ad Nos, nostramque Curiam deuolutas.

Caput

Caput Quintum.

Rationales à Nobis quotannis deputandi, de computis summarias relationes Nobis deferant, & expensis eorum piorum locorum transcribi curent per extensum omnes, & singulas rationes, tam introitus, quàm exitus, prout in computis iacent in Codice in vnaquaque Ecclesia ad id confecto, vt supra; debitaque antecedentium nouis Administratoribus aggregent, vt prudenter à nostro Prædecessore Illustrissimo D. Ioanne Baptista Ferrutio statutum reperitur, nè Ecclesiæ, locaque pia plures debitores agnoscere cogantur. Qui verò ex reddita ratione remanserit debitor, nullo pacto, aut prætextu debitum apud se retinere audeat; nec quidem prætextu fundandi, & soluendi censum; sed infra mensem in manibus Successoris cum effectu illud reddat; aliàs declarabitur omninò incurrisse in pœnas, & censuras à Sac. Conc. Trid. contra illicitos bonorum Ecclesiasticorum detentores inflictas sess. 22. cap. 11. de reform. Vt autem expertis iam fraudibus pro posse occurramus; præcipimus nouis Administratoribus sub pœna excommunicationis, nè apochas, seù fides faciant Prædecessoribus, quibus attestentur, se ab his debita recepisse, si verè, & realiter non receperint.

Caput Sextum.

Parochis etiam Nobis iniungendum videtur, tum pro maiori ipsorum quiete, tum ad tollendas laicorum murmurationes, vt erga Ecclesiarum, & locorum piorum Admininistratores sedulò inuigilent; attamen nullo modo suis manibus exigentias, & impensas faciant, sed liberum, & integrum illis relinquant introitum, & exitum à nostris Rationalibus suo tempore discutiendum, sub graui pœna nostro arbitrio. Qui quidem Rationales nullo modo bonificent partitas, & expensas excedentes summam ducatorum decem sinè mandato exhibito nostræ Curiæ, & inferiores absque mandato, & consilio Parochi erogatas; & ita iniungimus sub pœna dupli, & excommunicationis in subsidium. Teneantur etiam Administratores non solùm semel, & iterum, sed quotiescunque Nobis opportunum videbitur, intra decennium à die relictæ administrationis, reddere nostris Rationalibus computa, licet pluries visa, & reuisa, & significata, vel liberata, quacunque exceptione, & causa opposita non obstante, prout ab immemorabili tempore rationabiliter in hac Diœcesi reperimus, sub pœna excommunicationis, & alijs nostro arbitrio. Parochi autem die festo antecedente computorum visionem in Missa Parochiali notum faciant, quòd tali die videbuntur computa talis Administratoris talis Confraternitatis, vel loci pij; ad hoc vt non solùm ij, ad quos spectat, sed etiam quilibet, qui volue-

voluerit, possit assistere, & loqui pro bono Ecclesiæ, & loci pij cuiuscunque.

Caput Septimum.

Locationes prædiorum locorum piorum, Ecclesiarumque, ad extinctum candelæ, præuia schedula in valuis Ecclesiæ, saltem per dies quinque antea apponenda (quod tali die candela accendatur) fieri debent. Nolumus autem locari posse affinibus, aut consanguineis (intra secundum gradum) Rectorum, ac Administratorum. Prohibemus etiam pro licitatoribus admitti Dominos, & locorum Barones quocunque titulo fulgeant, eorumque factores sine nostra expressa licentia, aliàs locationes sint ipso facto nullæ, & qui eas celebrarint, teneantur ad damnum. Si quis autem ex dictis Baronibus per aliam interpositam personam licitauerit, vt huius nostræ Constitutionis præscriptum eludat, sciat, tam ipsum, quàm licitatorem sententiam excommunicationis ipso facto subituros; in quam etiam incurrere intendimus eos, qui per minas, & amicos, aut quauis arte alios à licitando deterrere præsumpserint. Nouos verò census fundari, contractus fieri, animalia vendi, & similia prohibemus sinè nostra expressa licentia in scriptis, gratis concedenda, & instrumentis contractuum de verbo ad verbum inserenda, præuia informatione de vtilitate, & securitate, sub pœna nullitatis, ac soluendi de proprio. Declaramus autem pro alienatione bonorum stabilium excedentium summam vnciarum duodecim esse recurrendum ad Sedem Apostolicam, iuxtà Constitutionem extrauagantem *Ambitiosæ*; infra verò talem summam posse concedi assensum à nostra Curia ex vi cap. *Terrulas*, iuxta morem aliarum Diœcesum, & præcipuè Salernitanæ, Caputaquensis, & Cauensis; & in nostra Diœcesi Triuentina à tempore fel. mem. Illustrissimi Episcopi Lanfranchi vsitatum, & in eius Synodalibus decretis insertum. Quod quidem etiam valet in locationibus vltra triennium, dummodo requisita à Sacris Canonibus concurrant.

Caput Octauum.

Nullus siue Rector, siue Administrator, pecuniam, triticum, aliasq; fruges mutuare audeat, aut animalia vendere absque facultate à Nobis gratis impetrata, sub pœna Ecclesiastici Interdicti, & satisfaciendi de proprio. Rectores verò, seù Administratores Montium Pietatis, aliorumque locorum piorum (si quæ sunt) mutuum dare solentium ex eorundem institutione, hoc non præstent, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nisi medio pignore (quod duplum valeat) seruando à Capserio (qui alius sit ab Administratore) & pro spatio ad summum vnius anni; quo elapso, nec facta restitutione mutui; dicta pignora infalli-

fallibiliter vendantur; præmissis tamen triduo ante publicis proclamationibus, vt dicta bona ad omnium pauperum subuentionem destinata, nunc his, nunc illis, non autem semper eisdem proficiant. De principali verò prædictorum bonorum sorte, quæ forte obuenient dictis sacris Montibus, alijsque pijs locis, nemini quidquam mutuent, aut in societatem, vel mercimonij causa tradant, vel per seipsos expendant, aut aliquo modo disponant, Nobis inconsultis, sub eadem pœna excommunicationis latæ sententiæ. Nostri autem Rationales de obseruantia huius decreti diligenter inquirant, exquirantque, an dicta pignora sint præscripti valoris; deque omnibus in relatione, scripto, vt supra exaranda, distinctam faciant mentionem; præsertim num Regulæ in Appendice datæ pro Montibus Pietatis in Ciuitate, & Diœcesi, exactè obseruentur.

Caput Nonum.

Potissima forsan causarum, ob quas bonorum Ecclesiasticorum memoria depereat, ea est; quia possessores, & ij, qui prædia detinent Ecclesijs obligata, & censibus, siuè redditibus annuis obnoxia, illa alienant, vt franca, & libera, vel censum in assertione diminuunt, nulla de vero onere mentione in instrumentis facta; quamobrem emptores deindè correspondere renuunt, vel in totum, vel in partem respectiuè, nisi Administratores, vel Rectores maximo sudore manuteneantur in quasi possessione exigendi, ac sæpè coguntur per litium anfractus, & incommoda, nec sine iactura substantiæ Ecclesiasticæ census recuperare. Statuimus igitur, quod tam hoc modo alienantes pro franchis, & liberis, cum non sint, vel censum minuentes (vltra caducitatem ipso facto) quàm omnes ad id scientes auxilium, consilium, operamq; præstantes, incidant in excommunicationem latæ sententiæ, præsertim Notarij, etiamsi instrumentis apposuerint clausulam illam: *Con il solito, e consueto reddito*; nisi certum redditum, illiusque quantitatem explicent; à qua excommunicatione per neminem possint absolui, nisi refectis damnis, & expensis, & re in margine instrumentorum declarata.

Caput Decimum.

Sunt qui de facto cessant à solutione, vel Canonum vel censuum Ecclesijs, Ecclesiasticisque debitorum; contra quos, vt iura disponunt, & stylus immemorabilis huius Triuentinæ Diœcesis obtinuit, Censuris insurgendum est: dum potius spoliatores, ac occupatores bonorum Ecclesiæ sunt dicendi. Hinc etiamsi Ecclesia nequeat instrumenta, vel obligationum chirographa ostendere, donec de illius iniustitia, & malo iure in petitorio constet: volumus, vt debitores prædicti eam de facto spoliare non audeant, sed per censuras Ecclesiasticas iure meri-

to ad solutionem compellantur: dummodo statim, & in promptu de malo Ecclesiæ iure sumus non detur; tunc enim ad depositum faciendum penes Ecclesiasticum cogi debent, & hoc, vt occupationes prædictæ, in quantum poterit, euiteutur.

Caput Vndecimum.

Cùm tandem experientia compertum sit, quòd Ecclesiasticorum bonorum ignorantia incuriam pariat; incuria verò malitiam; malitia autem dispersionem; dispersio denique animarum damnationem: tanto malo occurrere volentes, quantum in Domino possumus; decernimus, ac notum facimus, Nos Congregationem de quatuor in quatuor mensibus saltem habituros, in qua modi discutientur, ac præscribentur, qui Congregatorum iudicio erant consentanei, vt bona Ecclesiastica (quæ iuxta Sanctorum Patrum sunt pretia peccatorum, deposita pietatis. & patrimonium Crucifixi: ac proinde nonnisi in sacrum, & pium vsum conuerti debent) in defectum, & dispersionem non abeant; dispersa, & alienata reducantur, ac vendicétur; discrimini obnoxia defensentur; difficilia ad exigendum exigantur, sanctè applicentur, rectèque administreutur. Omnibus itaque prædictorum bonorum Ecclesiasticorum Administratoribus, & districtiùs Ecclesiarum Rectoribus, & Vicarijs foraneis iniũgimus; vt omni diligentia adhibita pro notitia eorum, quę ad rem pertinent, præfatæ Congregationis Secretarium, qui regulariter erit Cancellarius nostræ Curiæ, in dies certiorem faciant de ijs omnibus, quæ ad prædictum nostrum intentum conferre existimauerint.

Caput Duodecimum.

Decimas soluere, esse de iure Diuino, nulli dubium est, iuxta illud Exodi 22. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Hoc idem in vtriusque testamenti paginis idem Spiritus Sanctus sæpius inculcat: Ideoque à Sac. Concil. Trid. excommunicationis fulmine feriuntur illi, qui decimas subtrahunt, aut impediunt, a qua excommunicatione absolui nullatenus possunt, nisi facta prius completa restitutione. Caueant itaque Confessarij nè absolutionis beneficium illis impertiantur personis, qui conscientias suas totali decimarum solutione non exonerant. Parochis autem iubemus, præfatum Sacri Concilij Tridentini decretum, sess. 25. cap. 12. de reform. inter Missarum solemnia statutis diebus populis sibi commissis proponere, ipsius continentiam, & seriem vulgari sermone explanando, vt in Appendice apponitur. Ipsisque populis suggerant, atque feruẽtiùs hanc veritatem intelligi faciant, quòd scilicet, qui decimas Ministris Altaris fraudant, nimis tardè, vel malè soluunt, indignationem Omnipotentis Dei potissimùm prouocant; Et quòd omnia mala tum communia, tum particularia huius Dięcesis,

præ-

præsertim nullius notæ messes, penuriæ, paupertates, miseriæ ex hoc ortum agnoscunt; vt enim Diuus Augustinus ait: *Cùm velint partiri cum Deo decimas, totum tollitur.*

TITVLVS XIV.

De Testamentis, pijsque legatis.

Caput Primum.

NE piæ Fidelium dispositiones, (quarum omnium ex Sac. Conc. Trid. etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati executores destinati sumus) aliena malitia, fraude, & auaritia frustrentur, vel debitæ executioni demandari negligantur: præcipimus sub excommunicationis pœna omnibus Notarijs huius nostræ Diœcesis, vt deinceps quarumuis dispositionum, tam in vltima voluntate, quàm inter viuos, legatorum, fideicommissorum, aut donationum, Nobis, vel nostro Vicario Generali, aut Rectori illius Ecclesiæ, in cuius beneficium facta fuerint, intra dies quindecim post illorum stipulationem, notitiam præbeant, vt eorum executioni prospicere valeamus. Idemque mandamus Ecclesiæ Rectoribus, & quibuscumque alijs, qui quarumcunque piarũ dispositionum per Testamenta, donationes, & legata, vel aliàs quomodolibet factarum, & nondum impletarum notitiam habeant, vel habebunt in posterum; vt scilicet de illis Nos, vel nostrum Vicarium Generalem admoneant; nec ea in libro ad hoc specialiter deputato distinctè notare obliuiscantur, sub pœna suspensionis, alijsque arbitrarijs.

Caput Secundum.

Sub eadem pœna excommunicationis mandamus, vt nemo Testatores à voluntate testandi ad pias causas, aliquo pacto deterrere, impedire, aut auertere audeat, vel præsumat; Hæredes verò, & successores quicunque, qui cùm possint, & debeant, scienter dicta legata, piasque dispositiones infra duos menses à die obitus non adimpleuerint, interdicto Ecclesiastico subijciãtur. Quòd si infrà alios duos menses adhùc non satisfecerint, excommunicationis pœnam adiungimus, à qua non absoluentur, nisi nedum legatorum, sed, & damni ex dilatione secuti restitutione facta.

Caput Tertium.

Declaramus, quòd quando legata pia non soluta suo tempore, à Reuerenda Fabrica Sancti Petri de Vrbe ex suis Constitutionibus in totum, vel in partem fuerint exacta: Tunc si hæredes priùs requisiti fuerant, & sua auaritia, vel incuria non soluerant, damnum cadat in ipsos;

met hæredes, non in Ecclesias, in quarum fauorem legata erant facta; ipsique hæredes cogantur in pœnam ad soluendum integram summã per legata importatam, etiam per Ecclesiasticas censuras. Quòd si hoc euenerit ob incuriam Rectorum, aut aliorum exigere debentium, ipsi negligentes ad damnum, Ecclesijs compensandum, teneantur. Nè autem ignorantiam allegare aliquis possit; mandamus Parochis, vt corã populo singulis annis huiusmodi decreta, ac edictum supra hanc materiam vulgari sermone à nobis editum, & in Appendice appositum omnino publicent, & explicent.

Caput Quartum.

Cùm in hac nostra Diœcesi vigeat peruetusta, & laudabilis consuetudo disponendi per Nos ad pias causas vsque ad certam summam pro decedentibus ab intestato; hanc approbamus, obseruarique inuiolabiliter mandamus: Eo magis, quòd comprobata fuerit à decreto Sacræ Congregationis iussu fæl. record. Clementis Octaui; vt in Praxi Archiep. tit. 96. de consuetud. Episc. disponen. ad pias causas; Imò ex declaratione speciali facta à Sacra Congregatione Eminentissimorũ Concilij Tridentini interpretum ad supplicationem Prædecessorum nostrorum in visitatione Sacrorum liminum Apostolorum de anno 1598. 20. die mensis Februarij, quæ est huiusmodi: *Consuetudinem quam Episcopus solitus est de bonis decedentium ab intestato vsque ad certam quãtitatem disponere, vtique obseruandam; Hieronymus Cardinalis Matthæus.* Cæterùm modus eadem conficiendi clariùs deduci potest ex alio decreto eiusdem Sacræ Congregationis Episcopo Nucerino, sub die septima Iunij 1594. in hæc verba: *Viene approuata la consuetudine, che il Vescouo faccia testamento ad pias causas per quelli, che muoiono ab intestato con queste quattro cõditioni. Prima: si faccia con paterna discrezione, considerando la qualità della persona, facoltà, famiglia, ed esercitio. Secondo: che col conseglio degli heredi medesimi si esegua la disposizione predetta, non vsando la forza, se la mora non fusse colpeuole, ò gli heredi predetti non contradicessero; nel qual caso possono essere costretti da gli Ordinarij, etiandio con le censure in subsidium. Terzo: l'applicazione si facci à quelli luoghi, & vsi pij, a' quali verisimilmente il Defonto haueua inclinazione, e deuozione. Quarto: che il Vescouo, e suoi Ministri in qualunque modo non riceuano alcuna cosa per tale disposizione, ancora per ragione di quarta.* Præcipimus itaque omnibus Curatis; vt de taliter decedentibus, cum fideli narratione bonorum familiæ, &c. iuxtà prædictas Sacræ Congregationis Regulas, statim Nos certiores reddant sub pœna sex ducatorum, vt possimus disponere quod melius videbitur.

Caput Quintum.

Constitutionem Sanctissimi Domini Pij V. incipientem: *Romani Pontificis*, qua disponitur, res sacras, etiam auri, & argenti, & paramenta Ecclesiastica, aliaque Cultui Diuino deseruientia; nec non Missalia, & Gradualia, librosque cantus firmi, aliosue sacratæ musicæ quorūcunque Beneficiatorum, nec spolijs subiacere, nec legato, aut testamento posse consanguineis, alijsue in morte relinqui, sed omnia applicari debere ipsismet Ecclesijs, quibus dicti Beneficiati inseruiebant; vel quarum beneficia possidebant: mandamus inuiolabiliter obseruari sub pœnis in eadem contentis, alijsque nostro arbitrio; declarantes eos, qui hactenus talia bona, in præiudicium Ecclesiarum, quibus erant debita, occupauerint, teneri ad satisfactionem, & ad alias pœnas nostro arbitrio insligendas. Quia tandem multoties insurgere solent controuersiæ cum Commissarijs Reuerendæ Fabricæ super piarum voluntatum adimplementa, vel cum hæredibus, vel cum alijs interesse habentibus; consultò duximus in Appendice apponenda, tum decreta, quæ supra hanc rem sancita fuerunt, tùm instructiones ab ipsismet Commissarijs obseruandę, & à Sac. Congreg. eiusdem Reu. Fabricæ editæ: qua occasione subijciemus etiam instructiones Commissariorum Nunciaturæ huius Regni.

TITVLVS XV.

De Funeribus, & Sepulturis.

Caput Primum.

EXequiarum, Sepulturæ, & Anniuersariorum causa, quidpiam pacisci, aut exigere, quod Simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ præseferat suspicionem, omnino prohibemus sub pœnis contra Simoniacos inflictis; pias tamen consuetudines circa eleemosynas ex funere percipiendas, nullatenus abrogamus: Ità tamen, vt quod ex laudabili, & approbata consuetudine fit, ad id hæredes (ni valeant numerare pecuniam,) captis pignoribus, vel alio honestiori modo compellantur, aut idoneam præstent cautionem, se, quod iustum, & consuetum est, soluturos, & absque scandalo, quod debetur exigatur. Non autem plus debet exigi, vel accipi pro tumulandis exteris, quam Ciuibus, sub pœna restituendi duplum, cum hoc vetitùm sit à Sacra Congregatione Concilij vigesima septima Maij 1617. Miserabiles personæ, quæ aut nihil habent, aut ita parum, vt proprijs impensis humari non possint, sepeliantur gratis. Et in omni casu nunquam cadauera debita fraudentur sepultura, & exequijs iuxta præscriptum Tassæ Innocentianæ, vbi habetur: *Non si possono in modo alcuno impedire, ò ritardare la sepoltura, e*

l'esequie de'defonti, così Cittadini, come forastieri per il pagamento di quelli emolumenti, che per la consuetudine del Paese si prendono; Mà parimente rimangano illese l'attioni giuridiche ne'beni; senza che in modo alcuno si facci represaglia di cadauere.

Caput Secundum.

Vt fidelium cadauera, qua maiori decet pietate, & decore efferantur: mandamus omnibus, & singulis Præsbyteris, & Clericis ad illam funeralem pompam accersitis, nè absque talari veste, superpelliceo, ac bireto accedant, sub pœna non participandi de eleemosyna ad hoc deputata, nec non alijs ad nostrum arbitrium. Parochi insuper, & omnes alij ad hoc officiosum munus vocati, deuotè illud compleant; vt non tantùm quæ sua sunt quærant; sed, & quæ Defuncti animæ prodesse possunt. Vndè preces, & ceremonias a Rituali Romano præscriptas omnino, & integrè seruent absque vlla diminutione, vel variatione, sub pœna suspensionis à Diuinis. Cadauera verò, nec ante Solis ortum, vel post eius occasum, nec inter Missarum solemnia, nec absque Parochi licentia, nec nisi ad minus post sex horas ab animæ exhalatione deferantur, & Sepulturæ nè tradantur ante duodecim horas post mortem, & viginti quatuor, si mors fuerit subitanea, vel ex Syncope, seù descensu aliquo, vt Medici aiunt.

Caput Tertium.

Ad eliminandum pessimum illum abusum in hac Diœcesi, in qua contra præceptum Apostoli contristantur de dormientibus, sicut, & cœteri, qui spem non habent, dum ploratu, ac lachrymis, vltra modum capillos euellendo, faciem erumpendo, clamando, eiulando condolent de defunctis; hos indecentes actus sub pœnis ab ingressu Ecclesiæ, & alijs arbitrarijs omnino prohibemus, & damnamus: mandantes Parochis, vt in deferendo ad Ecclesiam cadauere, nedum capillos superponi non permittant, sed & superpositos auferant, & cadauera non asportent, nisi plorantes, & eiulantes mulieres Domi remaneant; dùm ad nihil aliud in Ecclesia inseruient, nisi suis indiscretis fletibus, clamoribus, & eiulatibus diuina officia perturbare.

Caput Quartum.

Nullus autem defunctus ad Ecclesiam deferatur, nisi in vltima infirmitate fuisse confessum compertum sit; vel saltem in præcedenti Paschate præcepto Ecclesiæ circa Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta satisfecisse. Quod si non constiterit, absque nostra, vel Generalis Vi-

carij

tarij licentia non fepeliatur. Mortui verò in notorio delicto, vel in manifefto damnationis ftatu, vt funt præfertim publici excommunicati denunciati: Interdicti ab ingreffu Ecclefiæ; Mortui in duello: Notorij Clericorum Percuffores; Publici blafphematores Dei, & Sanctorum: Publici Vfurarij, latrones, raptores, ni figna pœnitentiæ euidenter dederint; Et ni alienum reftituerint, vel faltem cautionem idoneam de fatisfactione reliquerint; nedum Ecclefiaftica fepultura omnino priuentur, fed & illorum cadauera, ita ab Ecclefia emandentur, vt Clericorum voces canentium inde minimè audiantur, fub pœnis canonicis, alijsque noftro arbitrio infligendis. Nemo autem audeat ex aliqua, fiuè Sæculari, fiuè Regulari Ecclefia cadauer perpetuæ fepulturæ traditum, aliò afportare abfque noftra, vel noftri Generalis Vicarij facultate literis exarata, fub pœna excommunicationis latæ fententiæ.

Caput Quintum.

Inhibemus omnibus, & fingulis, nè prohibere cuique præfumant fub quouis prætextu ad fui libitum in aliqua Ecclefia, vel alio loco pio fibi bene vifo, fepulturam eligere, vel ad eam eligendam in fpeciali loco, aliquo pacto, aut iuramento quempiam inducere, fub pœna excommunicationis; fed cuiusque liberæ voluntati relinquant, in qua maluerint Ecclefia fepeliri. Pater verò pro minore duodecim annorũ, fi confuetudo adfit, fepulturam eligere poterit, dummodo electio fiat ante eius mortem: alioquin in propria Parochia erit fepeliendus, vt Sacra Congregatio refcripfit Epifcopo Fulginatenfi feptima Octobris 1578. In Parochialibus Ecclefijs adfint fepulturæ pro Sacerdotibus feorfim, & pro infantibus decedentibus cum Baptifmo: Capfæq; omnes, aut alia cadauerum conditoria fuper terram exiftentia amoueantur, & offa in cæmeterijs, aut fepulturis profundis fub terram collocentur, iuxta decreta Sanctæ Vifitationis.

Caput Sextum.

Cadauera defunctorum nullo pacto pro capiendis indicijs à Curijs laicalibus exhumari permittantur, poftquam tradita fuerint Ecclefiafticæ fepulturæ, fub pœna viginti quinque ducatorum, & in fubfidium excommunicationis; cùm hoc vetitum fit iuxta refcriptum Sacræ Congregationis Epifcoporũ Callienfi vigefima feptima Nouembris 1659. in hæc verba: *Comes Francifcus de la Porta, cùm de identitate eiusdem archibufij, cuius ictu quidam Abbas interfectus fuerat certioraretur, Callienfi Epifcopo pro licentia dicti Abbatis cadaueris exhumandi pluries inftiterit, ad hoc vt pilas plumbeas ex dicto corpore abftrahere & cum dicto archibufio confrontare poffit: Dictus verò Epifcopus prædictam licentiam nequaquam concedere voluiffet; pro eadem licentia Sacræ Congregationi fupplicauit.*

plicauit. Sacra Congregatio respondit: quòd bene fecit Episcopus; quia in foro Ecclesiastico non sumunt Laici indicia in causis criminalibus.

Caput Septimum.

Mortuo Summo Pontifice, & proprio Episcopo: In nostra Cathedrali, & alijs omnibus nostrę Diœcesis Ecclesijs solemnis Missa, insuper priuata ab vnoquoque Sacerdote pro eorum animabus celebretur; atque iuxta Romani Cæremonialis dispositionem quotannis pro anima prædefuncti Episcopi anniuersarium officium cum Missa solemniter peragatur. Singulis autem annis die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum peracto, in sequenti anniuersarium pro Episcoporum, & tertio pro Canonicorum Sacerdotum, & Clericorum omnium prædefunctorũ animabus nostræ Diœcesis celebrari præcipimus.

Caput Octauum.

Quolibet Sacerdote vita functo, Consacerdotes illius Ecclesiæ, in qua adscriptus erat, gratis facere sacrum, & officium solemni pompa pro eius anima celebrare teneantur. Cadauer verò Sacerdotalibus vestibus indutum in feretro ad Ecclesiam deferri volumus, & saltem cum alba sepeliri. Cùm autem hæc Diœcesis in quatuor sit discreta foranias, pro quolibet Sacerdote defuncto, omnes eiusdem foraniæ Sacerdotes teneantur vnam Missam gratis celebrare; necnon, & pro Clerico, alij illius foraniæ Clerici vnum nocturnum cum laudibus defunctorum, vel saltem Coronam Beatæ Virginis semel recitare. Et vt hoc faciliùs, securiùs, ac citius executioni mandetur; Rector illius loci, seù Ecclesiæ, vbi defunctus fuerit, vel Sacerdos, vel Clericus, statim certiorem reddat Vicarium foraneum; cuius munus erit, eum absque mora cęteris foranię Rectoribus significare, qui curent verbo, & exemplo reliquos monere, vt præscriptis suffragijs quamcitius satisfaciant. Hortamur itaque in Domino, vt hanc piam dispositionem hilari animo amplectantur, & exequantur: considerantes, omnes ex hac vita discessuros, nec absque suffragiorum indigentia; & esse sibi remetiendam eamdem mensuram, qua alios mensi fuerint.

Caput Nonum.

Quilibet Parochus librum habeat, in quo mortui eius Parochiæ adnotentur sub pœna ducatorum decem, ac suspensionis per annum. Formula verò seruanda est iuxta Rituale Romanum, & instructionem in Appendice dandam.

TITVLVS XVI.
De Sacramentis in genere.

Caput Primum.

SAcramenta, quæ Christi pretiosi Sanguinis merito in reparationem peccatorum, ac humanæ fragilitatis subsidium Ecclesiæ sunt diuinitus concessa, sanctè & ministranda, & accipienda sunt. Ideo in eorum administratione (vltra interiorem animæ puritatem) seruent Ministri ad vnguem ritus, & rubricas Ritualis Romani, à quo nullatenus discrepent, quique in vnaquaque Parochiali Ecclesia semper adsit, sub pœna arbitrio nostro insligenda. Sciantque omnes, quòd in posterum ad Sacramentorum administrationem, imò ad Sacerdotij dignitatem nullatenus admittentur, qui formas, materias, cæterasque partes Sacramentorum in promptu memoriæ non habeant, sicut etiam practicabiles, & magis communes casus (vt si contigerint, non errent) qui saltem ex rubricis eiusdem Ritualis exposci poterunt.

Caput Secundum.

Parochi Sacramentorum administrationem alteri Sacerdoti, quamuis idoneo (nisi graui impedimento detenti) minimè demandent; sed ipsi per seipsos superpelliceo, ac stola coloris, qui Sacramento administrando congruat, induti administrent: tam verò ipsi Parochi, quàm quilibet alius Confessarius, & Sacramentorum Administrator, quacunque diei, vel noctis hora fuerit ad aliqua Sacramenta administranda vocatus, absque vlla mora accedat; imò etiam non vocati, ad ægrotos conueniant, vt ad dignam Sacramentorum susceptionem illos inducant. Quòd si eorum negligentia aliquis sine Sacramentis, & animæ commendatione ex hac vita migrauerit, vltra reatum grauissimi sceleris, & Dei omnipotentis indignationem, grauiter etiam à Nobis punientur pœna carceris, vel alijs pro grauitate culpæ. Caueantque ipsimet Sacramentorum Ministri nè quidquam directè, vel indirectè pro eorum administratione exposcant, sub pœnis nedum à iure, sed grauioribus arbitrio nostro insligendis; illud enim Spiritus Sancti oraculum volumus adimpleri: *Qui sitit, veniat; & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.*

Caput Tertium.

Sacramentalibus quoque, quæ pro materijs, & vsibus Sacramentorum tantùm sunt instituta, nullo prætextu, etiam pietatis, & deuotionis quis abutatur, nec pro medendis infirmitatibus; multoque minus

pro superstitionibus, & maleficijs, sub pœna excommunicationis ipso facto Nobis reseruatæ, & alijs etiam corporalibus ad nostrum arbitrium. Pro receptione autem Sacrorum Oleorum à Nobis quotannis consecrandorum Curati nullum alium mittant, nisi in Sacris constitutum, vel saltem aliquem Clericum, qui sit probatæ vitæ: & destinati ad hoc Clerici, siuè in Sacris, siuè in minoribus, nullo modo renuant, sub pœna trium mensium carceris irremissibiliter infligenda; Deputatus verò ad illa tribuenda librum habeat, in quo manu propria illius, qui ad illa suscipienda aduenerit, nomen, & cognomen adnotari curet, & pro quo loco illa suscipiat: qui liber in nostro Archiuio deindè reponatur. Iubemus insuper vasa ipsa (quæ ex argento, vel saltem stannea esse debent, & non tam angusta, vt oleum non sacrum cum sacro infra annum absque necessitate misceatur) benè cooperta asseruari in capsa claue acclusa, quæ cùm ad Cathedralem mittitur, clauis ipsa in epistola sigillo proprio munita, includatur, & ad Archipresbyterum Cathedralis Ecclesiæ directa, eodem modo ab ipso ad Curatum remittatur.

Caput Quartum.

Demum meminerint Parochi eorum strictissimæ obligationis sæpe sæpius monendi populum de Sacramentorum dignitate, institutione, frequenti vsu: De præparatione necessaria ad illa suscipienda: De gratia, quam conferunt, & alios salutares effectus: De reuerentia, Religione, ac modestia, quibus ad illa debent accedere; hocque totum adimpleant inter Missarum solemnia, vel dum Doctrinam Christianam edocent vulgari, ac familiari sermone pro hominum captu ex Cathechismo Romano, quem proindè omnes apud se habere debent sub pœna scutorum trium.

TITVLVS XVII.

De Sacramento Baptismi.

Caput Primum.

BAptismus, quem Sacri Canones Ianuam omnium Sacramentorum appellant, per quam patet Nobis introitus ad Militantem Ecclesiam, ac Triumphantem, summa diligentia est conferendus. Hunc solemniter in Ecclesia ministrare ad proprium Parochum spectat, nec alius Sacerdos in hoc se ingerere audeat, nisi de Episcopi, vel proprij Parochi licentia, sub pœna suspensionis. Quicunque autem ministret, debet superpelliceo, & stola indui, & nonnisi in Ecclesijs, in quibus est fons baptismalis, sub eadem suspensionis pœna ipso facto. Cùm autem

tem

tem neceſſitas aderit baptizandi propter imminentem Infantis mortem, in quocunque loco Presbyter Diacono, & deinceps ſuperior inferiori Clerico, ijſque deficientibus, vir mulieri in miniſtrando præferatur: niſi fortè baptizandi formam ignorent digniores, & niſi parientis honeſtas aliud ſuadeat.

Caput Secundum.

Curent Parochi, vt Infantes quamprimùm poſt eorum ortum ad Eccleſiam deferantur pro ſalubri hoc Sacramento ſuſcipiendo; nec vltra biduum differantur, ſub grauiſſima pœna Parentibus, Obſtetricibus, & Parochis noſtro reſeruata arbitrio. Interrogent autem, & perſcrutentur diligenter, num ſint domi baptizati, ſub qua forma, & materia, & quæ pars corporis abluta. Et quem inuenerint rite baptizatum, rebaptizare, neque ſub conditione præſumant, ſed omiſſas ſuppleant ſolemnitates. Quem verò viderint in ancipiti eſſe, an ſcilicet rite, nec nè illi baptiſmus ſit collatus; tunc liceat Parochis eum ſub conditione baptizare hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Per dies autem octo antè Sabbatum Sanctum maioris hebdomadæ, & etiam Pentecoſtes, niſi periculum immineat, nullus in Eccleſia Infans baptizetur, ſed transferatur baptiſmus ad prædictum diem in benedictione fontis ſolemniter faciendus, iuxta Cæremoniale Romanum.

Caput Tertium.

Ad Obſtetrices inſtruendas circa neceſſaria ad huius Sacramenti adminiſtrationem inuigilent Parochi: aduertantque primò, formam ab his mulieribus (imò, & à rudibus viris) proferendam eſſe vulgari ſermone, videlicet: *Io ti battezzo in nome del Padre, e del Figliuolo, e dello Spirito Santo.* Secundò, materiam in hiſce caſibus ſufficientem eſſe aquam naturalem, licet deſint ſal, & olea ſacra: aduertantque etiam, verba proferre eodem tempore, quo aquam effundunt, adeo quòd carnem, ſiuè cutim capitis lauent; habeantque intentionem faciendi, quod intendit Eccleſia Catholica. Tertiò intelligant, id paſſim eis non licere, niſi in probabili periculo mortis Infantuli, & de facili perſona Eccleſiaſtica, vel vir haberi non poſſit, excepto caſu honeſtatis ob partum nondum editum, vt ſupra. Quartò, ſi neceſſitas vrgeat, non morentur in interrogatione nominis imponendi, neque Patrini à parentibus deputandi, ſicut in requiſitione, an ſit mas, vel fœmina; ſed his omnibus relictis baptizent. Quintò, cùm dubium eſt, an Infans viuat, nec nè; baptizetur ſub conditione, ſi viuat, & non aliàs, quæ conditio (præſertim in his caſibus) ſufficit ſi ſit in mente baptizantis, etiam ſi verbis non exprimatur. Sextò, cùm Infantuli pars aliqua,

siue membrum aliquod materna egreditur aluo, potest, & debet baptizari, effundendo aquam super partem illam iam editam; sed si postea totum corpus egrediatur, vel tantùm caput (durante eodem periculo mortis) dandus est baptismus iterum sub conditione, cum adhuc dubium sit inter Doctores, an baptismus collatus, non in capite, sit validus? Si verò in capite erat collatus (quia nulli dubium quin sit validus) non reiterabitur. Hæc omnia nedum Obstetricibus, sed etiam populo inter Missarum solemnia sępius inculcentur; cùm id munus baptizandi in necessitate omnibus sit commune. Quod si Parochi negligant, grauiter punientur; & grauissimè vltra suspensionis pœnam, si propter eorum incuriam aliquis Infans sine baptismo moriatur. Vnde si aliquam agnoscant mulierem ex prohibito coitu pręgnantem, omnem adhibere debent conatum, nè partus moriatur siue baptismo, vt ex diaboli instigatione accidere solet; hinc paternè, & secretò adhibere debent probas mulieres pro partus, & animę securitate.

Caput Quartum.

Caueant insuper Parochi, nè sal benedictum restituant, tradantque laicis, sed in vase destinato retineant, vel in Sacrarium proijciant; curentque baptizandis Sanctorum nomina imponi, non fabulosa, aut Ethnicorum, vel quæ non sunt in Martyrologio, seù Cathalogo Sanctorum. Moneant præterea Obstetrices, aliasque mulieres, quòd sub pœna excommunicationis, quam nunc ferimus, abstineant se ab omnibus superstitiosis obseruationibus, cùm infantem deferunt ad baptismum, nec super illos imponant, dum baptizantur, res aliquas, quibus postea in maleficijs abutantur, & vt ipsæ dicunt, in remedijs. Nec vlla mulier officium Obstetricis exerceat, nisi à proprio Parocho fuerit examinata, & approbata sub pœna excommunicationis; & in tempore Sanctæ Visitationis teneatur coram Nobis se præsentare, vt iterum examinetur, & approbetur, nè in re tanti ponderis decipiatur. Hinc homines de Regimine Vniuersitatum teneantur procurare Obstetrices aptas, & idoneas per Parochos ipsos instruendas, & approbandas, juxta dicta in præcedenti capite, & in Appendice ad hunc titulum.

Caput Quintum.

Id, quod Sacrorum Canonum Constitutionibus sancitum est, & præcipuè Sac. Conc. Trid. vt vnus tantùm vir, aut vna mulier, vel ad summum vnus, & vna de sacro fonte baptizatum suscipiant, inuiolabiliter seruari præcipimus. Susceptores autem, seù Compatres (qui in ætate vbertatis, & confirmati esse debent) à Parocho moneri mandamus, non modo de spirituali cognatione, quæ per baptismum (præter Baptizantem, & Baptizatum, Baptizatique Parentes) inter susci-

ſcipientem,& ſuſceptum, eiusque parentes contrahitur, quæque matrimonium contrahendum impedit,contractumque dirimit:verùm etiam eosdem ſuſcipientes teneri fidei rudimenta ſuſceptos edocere:illosque Catholica fide, probisque moribus inſtruere.Non admittantur autem pro Patrinis Regulares, excommunicati, interdicti, publici criminoſi, & qui præcepto Eccleſiæ de confitendo, & communicando præterito Paſchate non paruerint, vel fidei rudimenta ignorauerint.

Caput Sextum.

Fons Baptiſmalis patenti loco collocatus, ſit marmoreus, vel ſaltem lapideus, tribus munitus tegumentis, primo ligneo ita lapidi cohærente,vt pulueri in fontem necubi aditus pateat; altero etiam ligneo ad modum pyramidis cum claue,quod ciborium vocant: cui ſuperponatur tertium ſericum, vel coriaceum, vel lineum coloratum pro viribus Eccleſiæ; clauis verò à Rectore tantùm cuſtodiatur. Intus ciborium tabula intermedia reponatur, in qua ſacra olea, vaſculum argenteum, vel ſtanneum, cum pelui, ſeù bacile ad aquam in pueri caput effundendam, & alia omnia aſſeruentur, prout in Rituali notantur. Sacrarium decenter extructum ſit prope fontem baptiſmalem, illudq;operculo ligneo, & claue obſeratum.

Caput Septimum.

Seruetur etiam in ipſo fonte, vel apud Parochum liber, in quo baptizantis manu, annus, menſis, dies, necnon Baptizantis,Baptizati,Parentumque eius, ac ſuſcipientium nomina, & cognomina ad præſcriptum noui Ritualis Romani deſcribantur, iuxta formulam, quam vulgari ſermone in Appendice dabimus. Non permittant autem Parochi, Nobis, vel noſtro Vicario Generali inconſultis, fidem ætatis baptizatorum à libro extrahi, niſi ad inſtantiam ipſorum Baptizatorum, aut eorum Parentum.

Caput Octauum.

Denique moneant Parochi puerperas, vt cùm primùm domo exierint, Deo gratias acturæ de prole ſuſcepta, & Sacerdotalem accepturę benedictionem, Eccleſiam adeant; ipſisque ſub pœna excommunicationis prohibeant, nè Infantes ante annum expletum in lecto apud ſe retinere præſumant ob ſuffocationis periculum; quæ ſi acciderit, excommunicationem ipſo facto Nobis reſeruatam incurrent. Curent inſuper Parochi, piam, & laudabilem conſuetudinem in vſum reuocare, benedicendi pueros prima die,qua in Eccleſiam deferuntur: moneantque omnes fideles, vt die ipſorum baptiſmatis recurrente, recolant quotannis propoſitum, quo diabolo, & omnibus pompis eius abre-

nuntiarunt, & pro eo, quod in Christo regenerati fuerunt, tanti beneficij memoriam, gratiarum actionibus, orationibus, & alijs pijs operibus deuotè celebrent.

TITVLVS XVIII.

De Sacramento Confirmationis.

Caput Primum.

Confirmationis Sacramentum, cuius Minister est solus Episcopus, confert specialem gratiam ad audacter Christi nomen confitendum, colluctandumque cum spiritualibus nequitijs. In Baptismo enim regeneramur ad vitam: per Chrisma verò confirmamur, & roboramur ad pugnam, ac fortes in fide resistimus. Hocque Sacramentum indelebilem in anima imprimit characterem, perpetuò manentem, vndè reiterari non potest; sicque caueant omnes, qui se confirmatos sciunt, nè iterum ad hoc Sacramentum accedant.

Caput Secundum.

Vt verò ad illud rectè dispositi accedant Christifideles, aliquot ante diebus moneat Parochus populum, quo die erit administrandum, quæque ad illius dignam susceptionem obseruanda. Minores septennio, & adulti habentes vsum rationis, nisi priùs confessi, ac rudimenta fidei sciant, non admittantur. Circa Patrinos, qui confirmati esse debent, idem seruetur, quod in Baptismo statutum est: Sicuti eandem cognationem spiritualem contrahi aduertimus. Clerici absque nostra expressa licentia aliquem in Confirmatione non teneant. Laici verò vnus vnum, aut ad summum duos, & masculi masculos, fœminæ fœminas; sintque nati maiores, vel saltem æquales. Parentes autem proprios nè deferant filios.

Caput Tertium.

Vt autem supradicta omnia adimpleantur, nec vllus contingat error: statuimus, vt omnes, qui suscepturi sunt hoc Sacramentum, quique Patrini, vel Matrinæ officio fungi proponunt, aliquibus ante diebus Archipresbyteri, seù Rectoris suæ Parochiæ se subijciant examini, tum super ea, quæ circa Sacramentum scire tenentur, tum etiam circa principaliora nostræ fidei rudimenta; quòd si Parochi eos omnia scire compererint, tradant ipsis Confirmandis schedulam manu propria subscriptam, in qua nomen, & cognomen Confirmandi, nomina, & cognomina Patris, & Matris, Patrinorum, & Matrinarum, ac eos habere omnia requisita, exprimantur. Quæ quidem schedula erit Nobis

appro-

approbatio authentica de requisitis tum Confirmandorum tum Patrinorum: vnde caueant Parochi, nè in tradendo illam, temerè procedant, rationem Nobis strictè reddituri, si hoc animaduerterimus; ad quem effectum volumus Parochos ipsos sanctæ functioni semper interesse.

Caput Quartum.

Liber etiam conficiatur à Parochis, in quo Confirmantis, Confirmatorum, eorumque Parentum, & Patrinorum nomina, & cognomina describantur; necnon dies, mensis, & annus, vt supra de libro Baptizatorum declaratum est; qui erit secundus in ordine, iuxta formulam in Appendice datam conficiendus; in qua Edictum ab eisdem Parochis statuta die populo publicandum, etiam apponetur.

TITVLVS XIX.
De Augustissimo, & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Caput Primum.

Singulare, ac præcellens in Altaris Diuinissimo Sacramento præfulget, quòd reliqua Sacramenta sanctitatem, & gratiam ex meritis Christi dignè suscipientibus conferant; in Eucharistia verò ipse totius sanctitatis, gratiæ, bonorumque omnium Author Christus Deus, ac Dominus noster contineatur. Hinc est, quòd summo honore colendum, eique latriæ cultus, qui soli, & vero Deo debetur exhibendus est, de quo à Parochis sæpe populus est admonendus. Omni igitur diligentia, ac veneratione custodiendum, summaque animæ, & corporis puritate ministrandum, atque suscipiendum est,

Caput Secundum.

Curent proinde Parochi, maiori qua possunt decentia, hoc Cœlestium omnium mirabilium compendium, Diuinique amoris thesaurum seruare. Collocetur sub baldachino intra Tabernaculum deauratum, bene septum, ac munitum, non humidum, vel immundum, intùs serico ornatum, & serico conopeo foris opertum. Pyxides duæ extent, quarum altera ad deferendam Eucharistiam infirmis deseruiat, altera semper in Tabernaculo remanente; ambæ argenteæ, intus verò deauratæ, quæ suis operculis bene claudantur, habeantque paruulum ex serico conopeum; substergatur autem eis corporale nitidum, ac amouibile in pauimento Tabernaculi; in quo nihil prætererea

repo-

reponatur; non Sanctorum Reliquiæ, non Sacra Olea, nec aliud quidquam. Ante ipsum vna, vel plures lampades die, nocteque ardeant. Ostium sit bene clausum claue, penes Parochum perpetuò retinenda.

Caput Tertium.

Sacræ particulæ octauo quoque die non pauciores quinque renouentur, purificata priùs Pyxide, desumptisque præexistentibus fragmentis; & vt exterior cultus interiorem præseferat reuerentiam: præcipimus nè Sacerdos extra Missæ celebrationem hoc Sacramentum ministrare audeat, nisi superpelliceo, & stola indutus, ac super Altare sternatur corporale, ardeantque duo luminaria ceræ albæ, præmissis de more generali confessione, & absolutione, cum assistentia Ministri Cotta vestiti, habentis in vna manuum vas cryst allinum, aut vitreum nitidum, quo ablutionem laicis porrigat: in altera sudariolum mundum ad os abstergendum.

Caput Quartum.

Inuigilent Archipresbyteri, & Ecclesiarum Rectores, vt Clerici omnes Subdiaconi, & Diaconi, qui ad Regale Sacerdotium aspirant, Sacra Communione sæpe sæpius reficiantur, ac magis mundentur; & præsertim quolibet die Dominico Aduentus, & Quadragesimę, & infra annum qualibet saltem prima Dominica cuiuslibet mensis, & in solemnibus festis in ipso occurrentibus, in Missa solemni coram populo, omni qua decet reuerentia, & deuotione superpelliceis induti Sacram sumant Eucharistiam; renuentes autem distinctè adnotentur, & ad nostram notitiam deferantur. Hortentur insuper suos Parochianos Curati ipsi ad frequentem susceptionem huius salutaris Sacramenti habentis omne delectamentum, ac saporem Cœlestis suauitatis; præsertim in maioribus solemnitatibus Iesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, atque vehementer inculcent præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ, ne vltra annum illud differant, sed in Paschate, scilicet à Dominica Palmarum inclusinè, vsque ad Dominicam in Albis pariter inclusiuè in propria Parochia, vel in Cathedrali Ecclesia id adimpleant; neminique intra id tempus fas sit in alijs Ecclesijs, tam sæcularium, quàm Regularium Eucharistiam pro adimplendo Ecclesiæ præcepto sumere absque Parochi expressa licentia in scriptis, quam Parochus non debet concedere generalem, vt quilibet Parochianus in die Paschatis communicare possit in alijs Ecclesijs. Qui autem sine tali licentia ita communicant, præcepto non satisfaciunt. Sac. Congreg. Concil. in Cauallic. Sac. Congr. Episc. & Regul. 10. Decembris 1627.

Caput Quintum.

Aduertant Parochi ne tesseram, aut schedam de confessione audita, & absolutione impertita, in actu communicandi admittant, vel post cœptam Missam, nisi pridie ante Communionem, vel mane ante Missam illa fuerit præsentata; schedula autem prædicta subscripta sit propria Confessarij manu, & Conuentus sigillo munita, si sit Regularis, aliàs fidem non faciat. Statim autem ac quis sacram formam sumpserit, Clericus Parocho ministrans ei nouam schedulam tradat, in testimonium peractæ Communionis. In carcere autem detenti, vel iacentes infra hoc tempus, cœlesti hoc pabulo nequaquam fraudentur.

Caput Sextum.

Vt fraudibus occurratur, quibus perditi homines superiores decipere, imo seipsos in statu condemnationis detinere student; Parochus his, qui de ipsius cura Paschali tempore abfuerint, statim ac reuersi fuerint, notificet, vt infra quindecim dies confessi à proprio Pastore Sacram Communionem recipiant, quod si facere renuerint, ex eo, quòd asserant alibi se satisfecisse, ostendantque de hoc authenticam fidem, Nobis mittat, vt pro nostro officio, quid agendum sit, prouideamus. Quod si fides sit alterius Parochi intra fines nostræ Diœcesis, omnino reijciantur; hanc enim (extra casum grauis infirmitatis) fieri prohibemus exteris eiusdem Diœcesis. Quicunque igitur æternæ salutis immemores, hoc salutare præceptum implere contempserint, elapso prædicto Paschali tempore, publicè interdicti per Parochos ipsos denuncientur, qui ad nostram Curiam interdictorum nomina deferre non desinant, nec quisquam eos absoluere valeat sine nostra speciali facultate.

Caput Septimum.

Facinorosi homines, veluti publici Vsurarij, Blasphemi, Concubinarij, Indurati in odio, Meretrices, Coniuges cohabitare nolentes, famæ, vel bonorum restitutioni obnoxij, & restituere nolentes, alijque similes, quos pœnituisse non constat, ab huius Diuinissimi Sacramenti participatione omnino repellantur, omni personarum, ac dignitatum acceptatione posthabita; sicuti etiam, qui fidei rudimenta, moniti aliquoties prædiscere non curarunt. Quorum publicè peccatorum notitiam Nobis non differant Parochi porrigere, sub pœna ducatorum decem, vt obuiam procedamus, nè malum in peius progrediatur. Dumque fideles ad illius perceptionem accedunt, meminerint ad Panem Angelorum inuitari: sicque quacunque præeminentia fulgeant, demissa tamen facie, humili gestu, armis depositis, chirothecis abiectis,

vesti-

vestituque modesto, ac præcipuè mulieres fucis, cæterisque vanis ornamentis abdicatis, tota animi, corporisq; compositione accedant.

Caput Octauum.

Adolescentes vtriusque sexus non admittantur prima vice ad recipiendam Sacram Communionem, nisi priùs diligenter à proprio Parocho examinati, an eo iudicio, & discretione polleant, vt communicando intelligant, quid agant, tuncque moneantur de præcepto Ecclesiastico, quo deinceps tenentur communicandi singulis annis in Paschate. Non sinant verò Parochi ob eorum negligentiam, pueros ad adultam ætatem progredi absque eo, quod Cœlestem hunc cibum degustauerint; sed enitantur, cùm ad ætatem decem annorum peruenerint, si prudentia ætatem comitetur, illos erudire de fide, & excellentia huius Sacramenti, in quo reperitur Christus Dominus in Corpore, Anima, & Diuinitate, deque præparatione, & modo dignè sumendi. Hocque præstare incipiant potissimùm à Dominica Septuagesimę, vt Paschali tempore sufficienter instructi reperiantur. Quòd si à Nobis ipsos interrogari contigerit, quid in Sacra Hostia contineatur, & erroneas responsiones habuerimus, sicut iam aliquando habuimus; indignationem nostram, pœnasque arbitrarias Parochus se nouerit certò incurrisse.

Caput Nonum.

Parochus infirmum communicaturus, priùs ipsum adeat, disquiratque; an vomitum, nauseam, siue aliam faucium, aut stomachi indispositionem patiatur, quæ Communioni impedimento esse possit. Curet insuper, vt ægroti domus, maximèque cubiculum ab omni sorde expurgetur: tum campanæ signo vocetur populus, qui debitum præstet famulatum, præcipuè Sacerdotes, & Clerici superpelliceis induti: Sacrista cum Rituale, aspersorio, corporale intra bursam, ac tintinnabulo præcedat. Parochus Cotta, & stola indutus sub baldachino Pyxidem cum Sanctissimo Sacramento vtraque manu deferat, tectam se ico velo circumdante humeros, demisso vultu, nudo capite, incessu graui. Psalmos, & Hymnos recitans, præcedentibus ad minus sex luminibus. Associantes verò tam viri, quàm mulieres intelligibili voce Litanias Beatissimæ Virginis, vel eius Rosarium deuotè recitent; & præsertim ante domum infirmi, vt omninò confabulationes euitentur. Nocte autem, vel flante vento, aut tempore pluuiæ, lanternæ adhibeantur. In Pyxide duæ sint particulæ, imò plures, si plures infirmi communicandi erunt, itaut semper remaneat vna ad Ecclesiam reportanda. Cætera exequantur; vt in Rituali Romano. Postremò ad Ecclesiam eodem ordine, & deuotione reuertatur, vbi denunciata associantibus

tibus Indulgentia à Summis Pontificibus concessa, prout in Appendice declaratur (cui etiam addimus nostram quadraginta dierum) Pyxide sacra illos benedicat, hancque in Tabernaculo recondat. Quòd si in aliquo casu deferendum esset Sacramentum procul ab habitatu; tunc Parochus bursa serica coloris albi vtatur à collo pendente, in qua Pyxis cum vnica particula recondatur, si vnus erit communicandus, vel pluribus, si plures, itaut nulla remaneat; & peracta Communione, conseruata Pyxide, superpelliceo, ac stola depositis, extinctis luminibus, amotoque baldachino, Parochus redeat, & hoc præcipuè si fuerit nocte, vel tempore pluuiæ.

Caput Decimum.

In Ecclesijs Parochialibus, in quibus hactenus Societas Sanctissimi Sacramenti non est instituta, statim instituatur, iuxta Sanctæ Visitationis decretum, ad hoc, vt præstò sint ad illud cereis associandum; & tertia qualibet Dominica mensis per Ecclesiam fiat processio cum delatione Sanctissimi Sacramenti ad excitandam fidem, & deuotionem erga illud; qua finita, publicetur Indulgentia, prout in Summario in Appendice apponendo. Semper autem, ac Sacra Hostia erit publicè populo exponenda, reponatur in ostensorio sub paruula vmbella, seù baldachino super Altare decenter ornato, ac luminaribus ad minus duodecim accensis; nec desit vnquam assistentia duorum Ecclesiasticorum cum superpelliceis, & his deficientibus, duobus Confratribus Societatis eiusdem Sanctissimi Sacramenti cum proprijs habitibus, qui flexis genibus per turnum ante Altare deuotè orent, præter sæculares reliquos liberè aduentantes. Indecens enim est Deum omnipotentem, cui millia milliũ, & decies millies centena millia Angelorum assistunt, absque continua orantium assistentia publicè ad orandum, & adorandum exponi. Quæ quidem publica expositio, siue pro titulo quadraginta horarum siue pro minoris temporis oratione in Ecclesijs, & Oratorijs, præsertim Regularium sine licentia nostri Vicarij Generalis, qui ante omnia aduertere debet, num debito cultu, & ea, qua decet veneratione, prædicta expositio fiat, publicè non exponatur sub pœna nostro arbitrio reseruata. Festum Sanctissimi Sacramenti, seù Corporis Christi, omni, qua decet deuotione, apparatu, solemnitate, & concursu populi celebretur; qui quidem in ipso die festi, & per totam octauam, Diuinis officijs, & Missæ Sacrificijs assistere conari debet, Cœlestes Indulgentiarum thesauros lucraturus. Quarum Indulgentiarum summarium pro omnium notitia in Appendice apponetur per Parochos præscripta die publicandum.

TITVLVS XX.
De Sacramento Pœnitentiæ.
Caput Primum.

POenitentiæ Sacramentum lapsis post Baptismum est ad salutem necessarium, vti nondum regeneratis ipse Baptismus: vndè & secunda Tabula post naufragium appellatur, qua, nè inundantibus culpis, in barathrum æternæ damnationis demergatur, humana fragilitas sustentatur, ac in portum salutis æternæ dirigitur. Meritò igitur cùm quotidie peccatorum fluentibus agitemur, ad hanc salutarem Tabulam amplectendam frequentes, & prompti esse debemus. Quapropter Parochi populos sibi concreditos vehementer moneant, vt ad hoc tam vtile, tamque necessarium Sacramentum sepius recurrant, non expectantes præcepti tempus, anno reuoluto, præsertim cùm nemo sciat diem, neque horam, qua Dominus noster rationem vitæ nostræ exposcet, & an tunc erit opportunitas confitendi: vnde saltem in maioribus anni solemnitatibus diaboli iugum excutiant, & ad libertatem filiorum Dei per hoc Pœnitentiæ Sacramentum reuertantur, & in posterum, quasi à facie colubri fugiant peccatum.

Caput Secundum.

Quia contritio saltem imperfecta (quæ etiam attritio vocatur) adeò necessaria est in Sacramento Pœnitentiæ, vt absque illa Sacramentalis gratia non recipiatur; mandamus singulis Confessarijs, & hortamur in Domino, vt antequam Pœnitens incipiat confiteri, formulam contritionis in Appendice apponendam (quæ affixa in sedibus confessionalibus semper maneat) illum recitare curent, & ita vt quod ore exprimit, sentiat etiam in corde. Amplectetur autem hic contritionis actus summam præteritarum culparum, quatenus sunt offensa Dei, displicentiam, & firmum propositum abstinendi in futurum; & hoc præcipuè seruetur pro personis rusticis, de quibus timeri potest, quòd imparati, & absque vllo dolore, & præcogitatione ad Sacramentum accedant. Proponat insuper illis Confessarius in genere fœditatem peccati, Diuinam Bonitatem, damnationis periculum, & pœnarum æternitatem, adeò vt fortiter, suauiterque trahatur Pœnitens ad eliciendum actum doloris de peccatis commissis, & generale propositum non peccandi de cætero. Curetque, vt non solùm a peccatis, sed ab occasione etiam peccandi ipse Pœnitens abstinere firmiter proponat. Pueros verò, & puellas modum confitendi, & bonum à malo discernendi Parochi ipsi edoceant, & post nonum saltem annum ad Sacramentalem

con-

confeſſionem admittant; quòd ſi tam Parochi, quàm parentes, & alij, ſub quorum tutela ipſi pueri, & puellæ viuunt, non ita eos, vel eas educauerint, vt pro tempore præſcripto ſufficienter inſtructi, & parati ad confeſſionem inueniantur, hos ab Eccleſiæ ingreſſu expulſioni, illos verò pœnis arbitrio noſtro pro qualitate negligentiæ, & defectu, ſubiacere volumus.

Caput Tertium.

Vt querimoniæ, & ſcandali occaſio penitus tollantur, aduertant Confeſſarij, vt antequam pœnitentis cuiuſquam peccata audire incipiant, perquirant, an habeat aliquod impedimentum, ob quod abſolui non poſſit, nè cùm cognitis iam criminibus, inabſolutum dimittant, malitioſè id factum putetur. Præcipuè examinent, an Pœnitens ſit ſuæ iuriſdictioni ſubiectus, an excommunicatus, vel alia Eccleſiaſtica cenſura innodatus, an habeat peccata Sedi Apoſtolicæ, vel Epiſcopo reſeruata; in quibus caſibus, & alijs huiuſmodi non erit vltra in confeſſione progrediendum, ſed humaniter à ſe pœnitentem dimittant, reuerſurum ſuo tempore ad obtinendam abſolutionem ab eodem Confeſſario (facultate impetrata) vel alio modo ſuæ ipſius ſaluti conſulat. Cum illis verò, qui verum propoſitum abſtinendi à peccatis non habent, vel occaſionem proximam, vel domeſticam, & aliquam conuerſationem ad peccandum prouocantem, non tollunt, aut in grauia ſcelera ex praua conſuetudine incurrunt, abſolutionem tandiu differant, quouſque in eis reſipiſcentiæ propoſitum, occaſionem ablatam, & conſuetudinem reuocatam aliquo experimento perceperint. Si autem adſint perſpicientes, nè ſcandalo afficiantur, erecta manu ſupra pœnitentis caput, pronuncient ſecretò Pater, & Aue, vel quid ſimile, ac ſi eum abſoluerent: faciant tamen illum certiorem, ſe abſolutionis formam non protuliſſe.

Caput Quartum.

Pœnitentes, niſi poſt integram confeſſionem non reprehendat Confeſſarius & cùm aliquod quantumuis graue, & enorme peccatum audiuerit, ſigna admirationis, deteſtationis, vel horroris non oſtendat, ſed diſſimulet vſque ad finem; tunc vinum, & oleum, rigorem ſcilicet mixtum pietati ſuper ſauciata vulnera pro ſua prudentia infundat: congruentem peccatis imponat pœnitentiam, quæ nedum ſatisfactionis, ſed etiam medicinæ, ac præſeruationis vim habeat: abſtineat verò à grauioribus illis, quas veriſimiliter ſcit, non eſſe adimplendas, tum, & à publicis, pro culpis occultis etiam grauiſſimis. Publicè verò peccantes, cùm palam, vt ait Apoſtolus, corripiendi ſint, publica pœnitentia ſimiliter afficiantur. Tandem ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto

ab audiendis confessionibus, non imponat pœnitentias pecuniarias sibimet applicandas, vel à se distribuendas, etiam prętextu Missarum celebrandarum, adhuc si peccata debitę restitutioni sint obnoxia. Quod tamen ex libera charitate à pœnitentibus sibi collatum fuerit, recipere poterit, non autem vllo modo petere, aut in confessionali sede recipere quantumuis leuissima munuscula, sub eadem pœna.

Caput Quintum.

Mandamus omnibus, quòd in præcepto confitendi seruent dispositionem Capituli, *Omnis vtriusque sexus*, vt saltem semel in anno proprio Pastori peccata aperiant. Quod si alteri à Nobis approbato confiteri malint, hoc faciant de licentia petita (licet non obtenta) Parochi, qui huiusmodi homines adnotet in libello, simulque describat Confessarium, quem elegerint, ab illoque reportatam schedulam, Nobisque in Visitatione exhibeant, vt dignoscamus, quo animo tali tempore proprium fugerent Pastorem.

Caput Sextum.

Aduertant Confessarij omnes, etiam Regulares, adhuc obtenta à Nobis licentia confessiones audiendi, fas illis non esse, prætextu quorumuis priuilegiorum, etiam Confraternitatum, siue Corrigiæ Sanctę Monicæ, aut aliorum, absoluere à casibus Sedi Apostolicæ, vel Nobis reseruatis sine speciali facultate ad hoc concessa, sub pœna, vltra confessionis inualiditatem, excommunicationis, priuationis officiorum, dignitatum, aut beneficiorum, & inhabilitatis ad audiendas confessiones, & ad quascunque Prælaturas, & beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, & absque alia declaratione incurrenda: super quibus à nemine possunt dispensari, & absolui (præterquam in articulo mortis) nisi à Romano Pontifice, à quo facultates, concessiones, & priuilegia omnia quibuscunque, & quacunque verborum forma expressa iam irrita, nulla, & cassa sunt declarata ex decreto Sacræ Congregationis, de mente fel. record. Clementis Papæ VIII. promulgato Romæ die nona Ianuarij 1602. & Pauli V. in Appendice apponendo.

Caput Septimum.

Insuper licet intra fines nostræ Diœcesis (pro notitia hucusque habita) nulla sint loca à nostra omnimoda iurisdictione exempta: attamen pro omni casu, & euentu, quo nonnulla exemptionem in aliquibus præsumerent (cui nullo pacto acquiescimus) monendum putamus, etiã data, & nõ concessa aliquali, imo totali in reliquis exẽptione, dũmodo tamen loca sint intra fines huius Diœcesis, ad Nos, priuatiuè quoad alios, spectare prorsus approbationem Confessariorum, & aliorũ Ministran-

ſtrantium Sacramenta, ex diſpoſitione Sacri Concilij Tridentini, & Conſtitutione decimaoctaua Gregorij XV. quæ incipit: *Inſcrutabili* de exemptorum priuilegijs: & Conſtitutione nonageſimaſecunda Vrbani VIII. reuocantis priuilegia quibuscunque conceſſa, confeſſiones ſæcularium audiendi abſque examine, & approbatione Ordinarij; nec non varijs declarationibus Sacræ Congregationis, præcipuè Epiſcopo Caputaquenſi, in Appendice apponendis. Pateat igitur vniuerſis intra fines Diœceſis demorantibus, confeſſiones factas, & faciendas huiusmodi Confeſſarijs (ſi qui adeſſent) à Nobis facultatem non habentibus, fuiſſe, & fore nullas, & inualidas ex defectu iurisdictionis, etiamſi licentiam habere aſſerant ab alijs ordinariam, & quaſi Epiſcopalem prætendentibus. Mandamus præterea dictis Confeſſarijs, nè in poſterum hoc audeant attentare; alioquin contra ipſos procedemus ad pœnas in prædicta Conſtitutione, & Sacris Canonibus inflictas, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati; nec ex quacunque noſtra, vel noſtrorum Prædeceſſorum patientia, tolerantia, aut taciturnitate intendant ſe eſſe approbatos, niſi noſtro ſe ſubiecerint examini, ac licentiam in ſcriptis obtinuerint; nec vnquam pœnitentes excuſent ex communi errore, cùm pateant iura ſemper in tali caſu contradicentia, & Prædeceſſores noſtri patefecerint ea in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus, vti nunc patefacimus, & Nos.

Caput Octauum.

Caueant Confeſſarij, nè confeſſiones audiant extra Eccleſiam, niſi in caſu neceſſitatis: in ipſa verò Eccleſia, præſertim in confeſſionibus cum populi concurſu ſint ſemper veſte talari, ſuperpelliceo cum ſtola, & bireto induti, ſub pœna vnius aurei pro qualibet vice; Regulares autem nonniſi cum habitu Religioſo chorali, & cum ſtola violacea ſub pœna ſuſpenſionis ab officio. At mulierum confeſſiones ſemper in ſedibus confeſſionalibus per ipſos audiantur, in loco conſpicuo collocatis, & per craticulam ferream, vel ligneam cum ſpiſſis foraminibus; nec mane ante Solis ortum, nec veſpere poſt eius occaſum ſub eadem pœna pecuniaria, & alia noſtro arbitrio reſeruata, ſi Confeſſarius ſit ſæcularis, & ſuſpenſionis à confeſſionibus audiendis ipſo facto ſi ſit Regularis; caſum excipimus infirmitatis: tunc enim liceat confeſſiones audire die, noctuque, & vbique; loci tamen decumbentis oſtio reſerato: Confeſſarius verò, qui ſuam ſpiritualem filiam (quod Deus auertat) carnaliter cognouerit, nullo modo eam ad confeſſionem Sacramentalem in poſterum admittat, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto ab audiendis confeſſionibus: quo caſu quacunque authoritate audiendi amplius ipſius filiæ ſpiritualis ſic cognitæ confeſſionem Sacramentalem, Confeſſarium prædictum ex nunc pro tunc ſpoliamus, & priuamus. Pœnæ

autem

autem à Pontificijs Constitutionibus contra Confessarios solicitantes impositæ, in Appendice, vbi Summarium Italicum Const. fel. record. Gregorij XV. apponitur, videntur. Eamque Bullam, vel eius Summarium semper præ oculis habeant Confessarij, & Parochi bis in anno inter Missarum solemnia publicent.

Caput Nonum.

Medici cùm primùm ad infirmum accesserint eum de confessione statim facienda admoneant; nec tertiò inuisant non confessos sub pœnis in Constitutione Beati Pij V. contentis, quas contra eos continuò exequi curabimus. Meminerintque se ex tali Constitutione ad id iureiurando adstrictos esse, & tanquam periuros esse seuerè puniendos, si quod promiserint, obseruare inuiolatè neglexerint. Et excommunicati declarabuntur, sicut etiam, & parentes, & domestici, & familiares, si de eorum coniunctorum infirmitate solicitè Parochos non admonuerint, iuxta Sanctissimi Domini nostri Innocentij XI mandatum in hac Diœcesi publicatum mense Decembris 1682. Regulares verò à Nobis approbati, cùm vocantur ad audiendas confessiones infirmorum, teneantur, antequam eas audiant, vel saltem eodem die, audita confessione, id Parocho significare, sub pœna suspensionis ab ijs audiendis; fidemque infirmo relinquant, se ipsius confessionem audisse, absolutionemque impertitse ex decreto Sacræ Congregationis Episcopo Viglieuanensi decimaoctaua Februarij 1588. & Episcopo Senogalliensi vigesimasecunda Ianuarij 1616. in hæc verba: *Cùm Curatus Scapezzan. apud Sacram Congregationem conquereretur, quòd Fratres S. Francisci Minorum obseruantium Reformati confessiones Parochianorum ægrotantium absque eius licentia audiunt; Sacra Congregatio respondit, dictis Fratribus id prohiberi non posse, dummodo ab Ordinario priùs approbati existant, & postquam confessiones audierint, statim dictum Curatum certiorent.*

Caput Decimum.

Valde indecorum est, Sacerdotes iam pro Missa celebranda paratos, vestibus sacris indutos, vel stantes aliorum audire confessiones, aut alteri sua peccata confiteri: ideò ipsis mandamus sub pœna quinque librarum ceræ, quòd in futurum abstineant, & Rectoribus sub pœna dupli, vt decretum hoc seruari curent: sicuti etiam, quòd omnes, qui ad sacrum hoc munus approbati fuerint, in suis Ecclesijs assiduè assistant ad audiendum parati quoscunque confiteri volentes: præsertim aliquot ante Natiuitatem Domini Nostri Iesu Christi diebus, in hebdomada Sancta, ac in solemnioribus anni festiuitatibus, modo, & forma, quibus supra.

Caput Vndecimum.

Sacramentalis confessionis sigillum iuris Diuini est; & illius adeò stricta in omni casu obligatio, vt seruandum omnino sit, etiam si mundus totus periclitaretur. Aduertant igitur Confessarij, dum confessiones audiunt concurrente multitudine, vt pœnitentes ita coram se existant, & tanta sit inter eos distantia, vt vnus nequeat vllo modo alium sua peccata accusantem audire: ac ita cautè se gerant in ipsis corrigendis, vt nec minimo signo, vel gestu suspicionem aliquam adstantibus immittant. In collocutionibus verò extra confessionem, nè quid quocunque modo incauti proferant, quo alij veniant in cognitionem alicuius peccati, ac proindè sigillum infrigentes pœnas à iure statutas incurrant. Meminerint tamen in huiusmodi ministerio peragendo gerere personam Dei, qui ait: *In quacunque hora peccator ingemuerit peccata sua, iniquitatum eius non recordabor amplius.* Ac proinde Confessarij omnes debent esse maturæ ætatis, prudentes, exemplares, graues, discreti, pij, humiles, patientes, & soliciti de animarum salute: sicque Examinatores à Nobis deputati ad Confessarios examinandos, *ne tradant bestijs animas confitentes Deo*, debent de eorum vita, probitate, alijsque à iure requisitis diligentissimè perquirere, & quoad scientiam neminem admittere, qui saltem interrogationibus in Appendice apponendis imbutus non fuerit satis.

Caput Duodecimum.

Quia verò in Ecclesia Dei perpetuò obseruatum, & à Sacr. Trident. Concil. approbatum fuit, vt grauiora quædam, & atrociora crimina à solo Episcopo in sua Diœcesi absoluerentur: Nos tam laudabile institutum sectantes, infrascriptorum criminum absolutionem Nobis, & Sedi Episcopali reseruamus: à quibus nullus Confessarius absque nostra, vel nostri Generalis Vicarij facultate absoluere possit, vt eorum grauitas magis cognoscatur, timeatur, peccatorum petulantia cohibeatur, & commissio euitetur.

Casus Episcopo Triuentino reseruati cum excommunicatione annexa.

1 Omnis vtriusque sexus Sacramento Eucharistiæ, Oleo Sancto, siue quauis consecrata re ad illicitos actus quouis modo abutens, vel ad abutendum, licet abusus non sequatur, dans, vel recipiens.

2 Dæmoni obsequium præstans, vel promittens, eundem expressè inuocans, vel ligaturas, aut alias incantationes, diuinationes, & maleficia

leficia ad amorem, vel odium excitandum, seù quomodolibet nocendum, etiam non secuto effectu, faciens, vel ijs vtens, etiam absque errore intellectus, & sciens prædicta, & non reuelans.

3 Decimas, aliosue redditus Ecclesiasticos subtrahens, impediens, occupans, aut quouis modo defraudans.

4 Homicidium voluntarium admittens, abortum fœtus animati procurans, etiam non secuto effectu, & in præmissis, auxilio, iussu, vel consilio cooperans.

5 Retinens in lecto suum, vel alienum Infantem minorem vno anno, secuto suffocationis casu.

6 Incendiarius ex proposito ante denunciationem.

7 Proferens turpia verba coram Monialibus, etiam Nouitijs, aut puellis, quæ cum ipsis educantur, vel lasciuas cantiones circa earum Monasteria, vel literas talia continentes ad eas mittens, aut scienter ferens; necnon cum ijs sine nostra, vel nostri Vicarij Generalis, seù alterius Deputati licentia colloquens.

8 Falsum impedimentum ad matrimonium impediendum afferens, vel verum sciendo non reuelans.

9 Falsum testimonium in iudicio, in causa criminali, vel in ciuili in graue damnum alterius malitiosè deponens, vel vt deponatur, scienter efficiens: necnon Iudex, Actuarius, Notarius, Scriba dolosè, ac diminutè dicta testium capiens.

Casus reseruati sine excommunicatione.

1 DEum, vel Beatam Virginem blasphemans, alios verò Sanctos publicè, siue coram pluribus supra quatuor vltra duas vices.

2 Percussores Parentum, vel Magistrorum.

3 Incisor arboris fructiferæ cum alterius damno, vel iniuria.

4 Debitor Ecclesiæ, siue cuiusuis loci pij, etiam ratione administrationis, aut Ecclesiasticæ personæ ratione beneficij, legati pij, aut cuiusuis Ecclesiastici seruitij, si infra mensem, postquam fuerit etiam extraiudicialiter requisitus, non soluerit; & Notarius legatum pium infra mensem post notitiam mortis testatoris Parocho nō denuncians.

5 Raptus virginis; stuprum; incestus in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis, etiam cognationis spiritualis; sodomia, bestialitas, & concubinatus; cuius habita fortasse à Nobis facultate absolutionis, non absoluatur, nisi concubinarij saltem per duos menses se se continuerint, facta reali separatione, non modo thori, sed etiam domus, seù habitationis loci.

6 Inanimati fœtus abortum procurans, mandans, consulens, vel adiuuans.

7 Co-

7 Cognoſcentes ſe carnaliter ante matrimonium poſt contracta ſponſalia.

TITVLVS XXI.
De Sacramento Extremæ vnctionis.

Caput Primum.

SAcramentum Extremæ vnctionis ad fidelium ſubſidium in vltimo vitæ, & æternitatis diſcrimine à Deo clementiſſimo Patre conceſſum fuit. In hac enim vnctione gratia continetur Spiritus ſancti, reliquias peccati, ſi quæ ſint, emundans, animam ægroti alleuians, & corroborans, vt dæmonis tentationibus faciliùs reſiſtere valeat, ac demum aliquando etiam corporis ſanitatem conferens. Parochi igitur ſuos admoneat ægrotos, vt ſalutaribus Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis ſuſceptis, opportuno deinde tempore, inſtante mortis periculo, dum tamen integros habeant ſenſus, vt vberiori fructu fruantur, Extremæ vnctionis Sacramentum ſibi adhibendum poſtulent: de cuius vi, & virtute efficacibus verbis, ex Rituali, & Catechiſmo Romano deſumptis, illos, necnon, & præſentes omnes inſtruant: caueantque, nè quis eorum culpa, & negligentia abſque hoc ſalutifero, & firmiſſimo præſidio decedat, ſub graui pœna noſtro reſeruata arbitrio.

Caput Secundum.

Si quis verò ex vi morbi, vel aliquo repentino caſu ſenſum omnem amiſerit, itaut nihil planè intelligat, etiam ſi Sacramenta Pœnitentię, & Euchariſtiæ non ſuſceperit, nihilominus vngatur, dummodo viuat, & de eo probabile iudicium ferat Parochus, hoc Sacramentum fore petiturum, ſi integra eſſet mente; ſi autem bene intelligat, & loqui tantùm non valeat, ad contritionem ſaltem peccatorum, & cordis pœnitentiam ægrotum ipſum præinducat. At pueris ante rationis vſum, capite damnatis, impœnitentibus, ac notorijs peccatoribus nullo ſigno contritionis dato, nec non amentibus, ac rationis vſu omnino carentibus, hoc Sacramentum denegetur, niſi in lucidis interuallis, ſigno aliquo ſuſcipiendi deſiderium oſtenderint, & abſit in ipſa collatione irreuerentiæ periculum.

Caput Tertium.

Cùm opinio aſſerens, quod hoc Sacramentum in quinta, & vltima vnctione tantùm perficiatur, ſit probabilis, necnon, & alia docens perfici poſſe in qualibet: Conſulimus Miniſtro, vt ſi probabiliter timeat, ægrotum ante vltimam vnctionem moriturum, tunc intentionem ha-

beat perficiendi Sacramentum in qualibet cum conditione (mente concepta) si validè fieri liceat; vel si alium poterit habere Sacerdotem, poterit, & ipsum vocare, qui simul ministret, vt celeriùs, & securiùs expediatur. Quòd si, dum hoc Sacramentum confert, ægrotus expirauerit, vnctis v. g. oculis, non vlteriùs est procedendum; si verò dubium est, viuat, nec nè: tunc Minister sub conditione (si es viuus) vnctionem prosequatur. Oculos autem, & aures cæci, & surdi debet inungere, quia potuerunt peccare per potentias internas illis correspondentes, aut desiderio illis abuti. Quòd si organa etiam deerint, poterunt inungi partes illis propinquæ. In Sacerdotibus non vngatur pars manus interior vncta in Sacerdotali ordine, sed exterior. In mulieribus lumbi propter honestatem non vnguntur; & cum hæc non sit omnino necessaria, omitti etiam potest in viris, qui ob grauem morbum verti non poterunt, vel pectus erga regionem cordis eis inungi.

Caput Quartum.

Minister deferens Extremam vnctionem sit superpelliceo, & stola violacea indutus; nec sine Ministro deferente Crucem sine hasta, & aliquibus luminaribus incedat. In vna infirmitate, in qua ægrotus semel appropinquat morti, vnctio iterari haud licet: at si infirmitas prolongabitur, & post vnctionem periculum mortis abfuerit, & post aliquod tempus, arbitrio boni viri, nouum adsit periculum, etiam si antea plenè non conualuerit, iterum potest vngi. In reliquis præcipimus obseruari ad vnguem nouissimum Rituale Romanum. Parochis tandem notum facimus, velle Nosmetipsos, tum Sanctissimum Viaticum, tum Extremam vnctionem ministrare Ecclesiasticis, tam in hac Ciuitate, quàm in quocunque alio loco, vbi Nos immorari contigerit; ideoque de decumbentibus huiusmodi in suis Parochijs, Nos certiores facere opportuno tempore non omittant.

TITVLVS XXII.
De Sacramento Ordinis.

Caput Primum.

CVm per Sacramentum Ordinis deputentur homines ad Sacrorum administrationem, animarumque salutem, & curam (Diuina proculdubio munera) in eius collatione eò magis est inuigilandum, quò ex mala susceptione, & administratione, Dei contemptus, fideliumque non mediocre scandalum, & detrimentum oriatur. In primis itaque vt selecti in sortem Domini à communi populo distinguantur: sancimus, nè sine speciali nostra licentia, vllus Clericali habitu ince-

incedere, aut Ecclesiastico alicui muneri deseruire audeat, sub pœna excommunicationis, nisi priùs sit prima Tonsura initiatus. Ad quem effectum obsecramus omnes in Domino, præsertim Parochos (qui etiam ex iustitia tenentur) vt, si quos nouerint ad Ecclesiasticam militiam aspirare, qui vitæ turpitudine, morum improbitate, vel alicuius criminis labe notati fuerint, illos Nobis, seù nostro Vicario secretò deferant, vt eis tantummodo Clericalis honor conferatur, quos vitæ probitas, & scientia, vel saltem scientiæ spes dignos reddit.

Caput Secundum.

Omnes ordinandi, feria quarta ante Sabbathum, in quo ordinationes celebrari debent, in nostra Curia omnino comparere teneantur, & qui post diem dictum se præsentauerit, nullo pacto admittatur; ad hoc vt accuratiùs, & attentiùs omnia requisita recognosci possint, priùs quàm eorum examen instituatur. Quæ requisita in Appendice huius Synodi, pro vnoquoque ordine apponentur; eaque inuiolabiliter obseruari mandamus; sicut etiam strictè præcipimus Examinatoribus Synodalibus, vt in admittendis, vel laicis ad Clericalem Tonsuram, vel Clericis ad singulos ordines, ea omnia, quæ ad eorum natalia, ætatem, scientiam, titulum, &c spectantia, salubriter à Sacris Canonibus, præsertim Sacri Concilij Tridentini præscripta sunt, præ oculis habeant, & exactè requirant. Maximè verò inuigilent, nè Clericorum numero admittantur, qui non proposito fideliter Deo seruiendi, sed sæcularis iudicij fugiendi fraude, inter Clericos admitti petierint; quique in sacro ministerio perseueraturi, & vtiles Ecclesiæ futuri non videbuntur. Quando autem ordinationes in Ecclesia solemniter celebrantur, vt debito peragantur decore, præcipimus, vt omnes nostræ Cathedralis Dignitates, & Canonici, necnon & reliquus Clerus conueniant. Parochis verò iniungimus, vt postquam Edictum de Ordinatione habenda emanarit, commissos sibi populos enixè hortentur, vt ab omnipotenti Deo Nobis impetrent: *Manus citò nemini imponere, neque communicare peccatis alienis,* vt ipsemet per os Apostoli Episcopis præcipit.

Caput Tertium.

Sæpè fit, vt particularibus odijs, alijsque humanis respectibus ducti Gubernatores, Iudices, Ministri de Regimine, alijque, ad quos spectat, fides facere renuant ad Clericalem Tonsuram promouendis, quatenus hi in sæculari Curia non reperiantur inquisiti: ex quo sequitur, quòd, aut illi non admittantur, & ob hoc nedum frustrantur homines proposito se dicandi Deo; verùm etiam libertas ipsa, & iurisdictio Ecclesiastica remanet imminuta; aut admittuntur, præuijs alijs informationibus ad Nos præsentatis, quibus constet, illos non esse inquisitos;

& ex hoc generantur deinde querimoniæ, quòd informationes veritati non innitantur: vt igitur, & libertati, & Iurisdictioni Ecclesiasticæ consulamus, & ora murmurantium claudere valeamus (si tamen valeamus) præcipimus dictis omnibus Officialibus, ad quos spectat, vt requisiti, infra biduum tales fides conficiant sub pœna Ecclesiastici interdicti: nec ideo adempta Nobis intelligatur facultas, aut ligatæ manus tale testimonium per alia iuris remedia exquirere, quatenus de veritate instructi possimus promouendos admittere, vel excludere, prout magis in Domino expedire censebimus. Prohibentes autem quacunque authoritate tales fides fieri, & siue directè, siue indirectè, nè laici Clericalem statum assumant sine eorum licentia; talemque licentiam petentes ipso facto excommunicationi, tanquam libertatis Ecclesiasticæ violatores, subiaceant.

Caput Quartum.

Vt Ecclesiastico decori consultum sit: statuimus, quòd patrimonium, vel beneficium pro sacris suscipiendis ordinibus, sit reddituum, siue censuum ducatorum ad minus vigintiquinque, deductis omnibus oneribus, sitque fundatum super bonis stabilibus, fructiferis, vel annuis redditibus, non autem in mobilibus, vel animalibus: si quis verò contrauenerit, asserendo, se titulum habere sufficientem, cùm reuera talis non sit, declaramus illum eo iure suspensum à suscepti ordinis exercitio; & exercendo, fieri irregularem, vltra pœnam falsi. Testes verò deponentes falsum, aut quod verum nesciunt, vt verum affirmantes, & causam scientiæ reddentes non veram, vltra eandem pœnam falsi, excommunicationis vinculo innodabuntur; sub qua etiam pœna præcipimus, vt huiusmodi patrimonia constituentes, iurent in actis nostræ Episcopalis Curiæ, Constitutiones, quas faciunt, esse veras, nullamque inter ipsos, & ordinandum intercedere collusionem: nec deinceps bona patrimonij donata, vel quomodolibet assignata audeant possidere sub quocunque titulo Procuratoris, Coloni, &c. sub eadem excommunicationis pœna; quam pœnam volumus incurrere etiam Appretiatores illos, qui in appretijs super bona fructifera fieri consuetis, veritatem omnino non aperiunt.

Caput Quintum.

In Ecclesijs receptiuis tot admittantur ad titulum ipsius Ecclesiæ, quot ex eius certis redditibus percipere possunt ad minus annuam præstationem ducatorum viginti quinque, deducto omni onere Cathedratici, spolij, & similium, & quibus gaudere valeant, etiam tempore ægritudinis, aut alterius necessitatis; & sic in vnaquaque Ecclesia, hac præhabita consideratione, certus præfigendus est numerus participantium,

tium, vt sæpè Sacra Congregatio rescripsit, & nouissimè Eminentissimo Cardinali Vrsino, tunc Archiepiscopo Sipontino. Non necessariò autem in locum decedentium admittendi sunt iam ordinati ad titulum patrimonij, vel beneficij; sed alij possunt de nouo admitti ordinandi ad titulum Ecclesiæ: nec admissio valeat, Nobis inconsultis, & sine præuio nostro examine. Rectores verò, Archipresbyteri, & alij, ad quos olim spectabat fides facere de capacitate Ecclesiarum, nequaquam in posterum illas facere possint; volumus enim, quòd probationes de capacitate prædicta fiant coram Nobis, vel nostro Vicario Generali per acta Visitationum, publica documenta, vel Testes fide dignos; cùm multas in hoc commissas fuisse fraudes, & aliquas non sine labe simoniæ experti fuerimus. Et præterea, quia merita sæpissimè postposita sunt fauoribus, & precibus, aut mandatis laicorum; ideo talibus vtentes, inhabiles, & incapaces esse volumus huiusmodi tituli, & cum titulo taliter obtento promotos non aliter, ac cum ficto iudicamus, & declaramus: multò magis promotos iam ad titulum patrimonij sui, vel alium, si per similia media postea ad dictarum Ecclesiarum participationem fuerint aggregati, ex nunc pro exclusis habemus, & fructuum incapaces esse volumus, & declaramus, pœnisque ad nostrum arbitrium obnoxios.

Caput Sextum.

Plures in nostra Diœcesi Ecclesias comperimus receptiuas; ob detestabilem tamen receptorum, & aggregatorum Presbyterorum segnitiem, & sæpe ob auidam in alijs negotijs occupationem, aut inanem per alia loca vagationem debito destitutas obsequio: idcirco tanto malo, quantum in Domino possumus, occurrere cupientes, præsenti decreto sancimus, vt quicunque alicui ex dictis Ecclesijs, quouis tempore receptus, & aggregatus, ex quauis causa (infirmitatis excepta) vel vno die supra mensem vnum per continuos, aut interpellatos dies intra annum sine nostra, vel nostri Generalis Vicarij licentia in scriptis, & nullo relicto substituto à Nobis priùs ad hoc approbato, ab illius seruitio absfuerit, ipso facto absque alia monitione, aut declaratione, loco, quem occupabat in ipsa Ecclesia, & eius emolumentis, quę sua facere nec in conscientia valeat, perpetuò priuatus existat: si verò reperiatur sacris initiatus ad titulum talis Ecclesiæ, post sex menses similis absentiæ, volumus eum simili priuationi subiacere; Ex nunc igitur maneant omnes moniti, & declarati pro omni casu inobseruantiæ huius nostræ Constitutionis; & Parochi statim, ac casus euenerit, debeant ad Nos in scriptis transgressores referre, vt, si opus fuerit, alijs pœnis pro modo culpæ afficiantur.

Caput

Caput Septimum.

Nè tandem Clericatus decor abeat in contemptum, ex hoc, quòd initiati vilibus artibus se dedunt, non habentes aliunde quo viuant: hac Synodali Constitutione decernimus, vt nemo in posterum prima Clericali Tonsura condecoretur, qui liberam, & sub vera sui possessione non habuerit saltem medietatem patrimonij supra exacti pro Subdiaconis constitutis cum eisdem cautelis in præcedentibus decretis expressis: contrauenientes eisdem pœnis eis impositis submittentes. Qui autem in præsens huiusmodi vilibus artibus se implicant, aut qui paupertatis prætextu non incedunt decenti habitu, & tonsura, priuilegijs Clericalibus expoliandos esse decernimus, & declaramus.

Caput Octauum.

Ad tollendas dissensiones, quæ sæpè accidunt inter Clericos de præcedentia, declarationes Sacr. Rit. Congreg. hic subnectendas censuimus, quas ad vnguem obseruari mandamus sub pœnis nostro reseruatis arbitrio.

Ordo sedendi in Choro, & in Processionibus incedendi à Sac. Rit. Congreg. præscriptus.

Habetur ordo in Synodo Triventina Marioni de anno 1727. in Appendice pag: 163. Afferzam in Appendice Synodi Sipontinae de anno 1674. pag: 225.

Sipontina.

PRo parte Eminentissimi Domini Fr. Vincentij Mariæ Archiepiscopi Sipontini, Cardinalis S. Sixti supplicatum fuit apud Sacr. Rit. Congregationem pro declaratione infrascriptorum dubiorum, vulgari sermone descriptorum, videlicet.

Primo. Se i Preti non Capitolari, che interuengono ne i giorni festiui nel Choro, e nelle Processioni, debbano sedere, ò caminare per via d'anzianità di ordini; ouero deue precedere quello, che si ritroua graduato in legge Canonica, ò in Teologia, quantunque sia posteriore nell'ordine.

Secondo. Se lo stesso debba pratticarsi ne' Diaconi, Suddiaconi, e Chierici.

Terzo. Se i Sacerdoti Cittadini Nationali debbano hauer qualche precedenza à' Diocesani, & à quei Sacerdoti, che fanno l'incolato nella Città, quantunque questi habbino maggior anzianità d'ordini.

Quarto. Se nelle Chiese recettiue della Diocesi debbano precedere quelli, che si trouano ascritti secondo l'antichità dell'ascrittione, ò pure secondo l'antichità dell'ordine.

Quinto. Se vn Sacerdote non ascritto, interuenendo à quella Chiesa degli ascritti possa precedere per anzianità d'ordine à quelli, che sono ascritti, ma posteriori all'ordine.

Sesto.

Sesto. Se l'ordine della precedenza, che si pratticherà ne' sudetti dubbij nella Città, debba anche intendersi nella Diocesi.

Eadem Sacra Congregatio, referente Eminentissimo Domino Card. Columna ad supradicta dubia respondit, vt infra, videlicet.

Ad primum: præcedentiam inter Presbyteros sumi ex antianitate ordinis, non ex gradu Doctoratus, quia Presbyteratus ordo longè dignior est, quàm gradus Doctoratus: sed inter plures Parochos, seù Curatos Ecclesiarum Parochialiū attenditur prærogatiua Ecclesiæ Parochialis, non antianitatis ordinis.

Ad secundum. Idem obseruandum, vt supra ex ijsdem rationibus.

Ad tertium. Ciuitatem, & Incolatum nullam maiorem prærogatiuam tribuere.

Ad quartum. Attendendam antianitatem ordinum, dum in Ecclesijs adscriptiuis non potest considerari aliquis bonor, seu aliquis titulus perpetuus, & realis pro adscripto.

Ad quintum. Affirmatiuè, ex proxima allegata ratione.

Ad sextum. Affirmatiuè, cùm militet eadem ratio, & non cognoscitur posse assignari disparitatem rationis; & ita declarauit, & obseruari mandauit. Hac die vigesimatertia Nouembris 1675.

G. Cardinalis Carpineus.

Adest sigillum ✠

Berardinus Casalius S.R.C. Secret.

TITVLVS XXIII.

De Sacramento Matrimonij.

Caput Primum.

SAcramentum Matrimonij à D. Paulo mirabili encomio magnum appellatum, Christi, & Ecclesiæ coniunctionem significans, debet sanctè, & ritè secundùm Sacrorum Canonum præscripta celebrari. Expressè itaque præcipimus Parochis, vt quæ in Sacra Tridentina Synodo sunt circa hoc salubriter instituta, quæque his Constitutionibus declarantur, & decernuntur vulgari sermone festiuis diebus Populo frequenti explicent; maximè ad euitanda Matrimonia Clandestina, & inter personas aliquo impedimento detentas; Et quia comperimus aliquos prolabi in dignoscendis gradibus consanguinitatis, affinitatis, & cognationis spiritualis: adeò quod aliquando matrimonia publicentur, imò ineantur inter personas iungi prohibitas: Hac de caussa curauimus arborem, & graduum distantiam in Appendice apponi, facillimis adiectis Regulis ad discernendos gradus, vt deinde non solum Rectores, sed Populus dignoscere possit, quoto gradu distent coniungendi. Quia verò impedimenta sunt multiplicia; iniungimus

Curatis, vt illa, eorum circumstantias, differentiasque inter impedientia, & dirimentia scire optimè studeant, vnáque cum declarationibus super hoc emanatis à Sacra Congregatione, quæ ferè omnes exaratæ inueniuntur in calce Tractatus Posseuini de officio Curati; totumque Populo frequenter explicent sub pœna scutorum sex, vt in denunciationibus faciendis sciat vnusquisque, quid reuelare; ideoque supradicta impedimenta in Appendice inseruntur, & declarantur.

Caput Secundum.

Matrimonium nullum celebretur, non præcedentibus tribus monitionibus factis per Parochum inter Missarum solemnia tribus diebus festiuis, ad præscriptum Sacr. Conc. Trid. & si contrahentes sint diuersarum Parochiarum fiant in vtriusque Parochijs. Quòd si in aliqua ex dictis denunciationibus qnidquàm impedimenti denunciatum fuerit, etiam si per famam, vel vnicum Testem id innotuerit, à reliquis monitionibus desistat Parochus; Et depositione opponentis ad Nos transmissa, sponsis nomine nostro, sub excommunicationis pœna, cohabitationem, & consuetudinem inhibeat: Nec denunciationes prædictas faciat ad aliorum instantiam, etiam Parentum, nisi constita ei contrahentium libera voluntate, præsertim Mulieris; Qui verò, prætermissis his, & alijs solemnitatibus, matrimonium contraxerit, pœnam subeat ducatorum viginti, & in subsidium excommunicationis: Parochus verò malitiosè assistens punietur acriter nostro arbitrio.

Caput Tertium.

Qui sciens impedimentum aliquod matrimonij contrahendi illud tacuerit, sit ipso facto excommunicatus, reseruata Nobis absolutione; qua pœna affici etiam volumus eum, qui falsum impedimentum protulerit, & ad id consilium, auxilium, aut fauorem præstiterit; quòd si res ad contentiosum forum deducta fuerit, alijs etiam pœnis, vti contra falsarios, eum mulctabimus. Contradictiones tamen matrimoniorum publicatorum, nè contrahantur, in scriptis tantùm recipiantur, & cum contradicentis subscriptione, vel si is scribere nesciat, coram duobus testibus, vt rescripsit Sacra Congregatio Archiepiscopo Cosentino 2. Augusti 1594.

Caput Quartum.

Absolutis publicationibus, & nullo detecto impedimento, sponsos (sit fuerint diuersarum Parochiarum) vtriuslibet Parochus in matrimonium coniungere potest, iuxta formam noui Ritualis Romani, & in Missæ celebratione eis sacerdotalem præbere benedictionem; dummodo

modo ambo primò nubant; alioquin si vterque, vel alter eorum sit bigamus, neutri benedictionem impendat: Verùm si sponsa fuerit virgo, & viro nubat, qui aliam habuerit vxorem, benedici potest, si adsit consuetudo; secus si non adsit; Matrimonio autem iungere, & benedicere alius Sacerdos præter Parochum, absque nostra, vel eiusdem Parochi licentia, nè audeat sub pœna suspensionis ipso facto. Eodem die, quo facta fuerit vltima denunciatio, Matrimonium nè celebretur, sed aliquod detur tempus ijs, qui impedimenta cognouerint, vt rem examinare, deliberare, & detegere queant; Si autem peractis publicationibus Matrimonium infra duos menses non fuerit celebratum ob impedimẽtum aliquod, vel coniugum negligentiam, tunc iterum fiant denunciationes sub pœna nostro arbitrio reseruata. Binas nuptias sub vna Missa, & benedictione benedici permittimus, non verò plures, sub pœna decem librarum ceræ albæ Ecclesiæ Parochiali applicanda; Negligentibus autem coniugibus in petenda huiusmodi benedictione, Parochus nomine nostro præcipiat sub pœna excommunicationis, vt eam recipiant, & contrauenientes ad Nos referat.

Caput Quintum.

Hortentur Parochi coniuges, prout Sancta etiam Tridentina Synodus hortatos esse voluit, vt antequam contrahant, vel saltem triduò ante consumationem, sua peccata confiteantur, & Sanctissimæ Eucharistię recipiant Sacramentum, vt Sacramenti gratiam securiùs recipere, vel saltem obicem tollere valeant. Moneantur insuper eodem tempore sponsi, vt in Matrimonio contrahendo carnis illecebras, & voluptates minimè quærant, sed præstantissima bona, ac salutares effectus, qui ex hoc Sacramento proueniunt; nempe Fidem, quam inter se perpetuò seruent: Prolem, quam si suscipiant, ad pietatem, & Religionem educẽt; Gratiam, & virtutem Sacramenti, quam in sancta, & indissolubili societate consequentur: Qui autem non fuerint confirmati, aut maneant interdicti, vel excommunicati, vel fidei rudimenta, saltem Mysterium Sanctissimę Trinitatis, & Incarnationis Filij Dei, Symbolum Fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Præcepta Dei, & Ecclesiæ ignorant, nullatenus ad Matrimonium admittantur; Imò præcipimus Parochis sub pœna suspensionis, vt ad denunciationes non deueniant, nisi priùs præuio examine futuros coniuges prædicta omnia scire compererint.

Caput Sextum.

Si Matrimonium contracturi ex diuersis sint locis, eiusdem tamen nostræ Diœcesis, præter supra posita requisita, illud celebrare non audeat Parochus, absque expressa nostra licentia, præuia informatione à

nostra Curia capienda, sub pœna ducatorum decem, & in subsidium suspensionis: Si verò ex diuersis sint Diœcesibus seruentur omninò Decreta Sacrę Congregationis supremæ Inquisitionis in Appēdice apponenda sub pœnis in eisdem contentis, vel alijs nostro arbitrio; & nè fiāt plures, quàm duo in carne vna, Matrimoniū cum viduis cōtrahi prohibemus, nisi priùs coram Nobis, seu nostro Vicario Generali per legitimas, & claras probationes constiterit de prioris coniugis obitu, & decretum de denunciationibus peragendis emanatit, sub graui pœna Parochis nostro arbitrio reseruata.

Caput Septimum.

Ad euitanda grauia illa inconuenientia, & peccata, quæ ob sponsorum per verba de futuro comercium eueniri solent, & non pauca in hac Diœcesi experti sumus non sine graui animi dolore; eisdem præcipimus sponsis, vt nedum in vna domo minimè cohabitent, aut vllo pacto conueniant, siue propria siue aliena; sed nec etiam inter se inuicem alloquantur ante Matrimonium contractum per verba de præsenti, sub pœna ducatorum decem pro qualibet vice, & in subsidium excommunicationis; Parochis autem strictè iniungimus sub pœna pecuniaria, & in subsidium suspensionis, vt hoc Synodale Decretum Populo publicent, eiusque executioni plurimùm inuigilent, & de transgressoribus vnà cum nostris Vicarijs foraneis diligenter inquirant, & quos reos compererint, nostræ Curiæ denuncient; & interim sub eadem pœna ad vlteriora non procedant. Quandocunque autem Matrimonij contrahendi impedimenta deteguntur, sponsos grauioribus minatis pœnis Parochus moneat, nè simul conuersentur, donec à Sancta Sede Apostolica obtenta dispensatione, & Nobis præsentata, licentia contrahendi, constita præuijs informationibus de expositorum veritate, concedatur. Quòd si ante has solemnitates copulam habuerint, sciant se noua indigere dispensatione, vt Sacra Congregatio censuit his verbis: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum aliàs censuit, eos, qui obtinuerunt literas dispensationis super gradu prohibito, & eis non præsentatis contraxerunt, vel se carnaliter cognouerunt, noua egere dispensatione. R. Cardinalis Vbaldinus.* Quòd si post Matrimonij celebrationem aliquod impedimentum detegatur, prohibeatur itidem sponsis, nè simul cohabitent, aut conuersentur, quousque à Sancta Sede fuerit dispensatum.

Caput Octauum.

Cùm proprius Sacramentorum locus sit Ecclesia, in ea decet Matrimonia celebrari, non in Laicorum domibus, in quibus multa huic Sacramento repugnantia admittuntur; Proinde præcipimus Parochis omni-

omnibus sub pœna scutorum quindecim; nè hoc Sacramentum domi, vel extra Ecclesiam celebrent, sine nostra expressa licentia in scriptis gratis danda, ex iusta tantùm, & rationabili causa; & tùnc in decentiori domus parte coram Sacra Imagine, omni, qua decet, reuerentia, exclusis omnibus prophanis figuris, locutionibus, seu actibus indecentibus sub pœnis nostro arbitrio: Et quia sæpe sponsi ob inuidentium timorem in Ecclesijs Matrimonia celebrare renuunt, eò quòd quandoque impediti reperiantur incantationibus, & maleficijs: vt à tam immani crimine omnes deterreantur, præsenti statuto sancimus, vt talia committentes, vel committenda curantes, mandantes, suadẽtes, aut consentientes, excommunicationis pœnam Nobis reseruatam ipso facto incurrant. Insuper, & re ad forum contentiosum deducta, pœna perpetui carceris mulctabuntur, & muro claudentur ex Constitutione fœlic. record. Gregorij XV. quæ incipit: *Omnipotentis Dei, &c.*

Caput Nonum.

Si quis ex aliena Diœcesi aliquam duxerit mulierem, quam vxorem affirmarit: Parochus ab eo Matrimonij fidem exigat, quam si ostendere non sit promptus, vtriusque nomina, & cognomina, ac Patriam adnotare, atque Nobis rem quanto citiùs significare curabit; vt opportunis remedijs, & debitis pœnis prouidere possimus; Quòd si de fuga suspecti appareant, in bona detineantur custodia, inuocato etiam brachij sæcularis auxilio.

Caput Decimum.

Quamuis temporibus Aduentus, & Quadragesimæ iuxta Tridentinum sess. 24. cap. 10. de reformatione non prohibeantur contractus Matrimoniorum, sed tantummodo solemnitates aliquæ nuptiales; Tamen quia Sacra Congregatio super eodem capitulo declarauit, sub hoc nomine solemnitatum intelligi traductionem sponsæ ad domum sponsi cum tripudijs, & solemnitate, conuiuia nuptialia, sponsorumque benedictiones: Proinde curent Parochi his temporibus, scilicet ab Aduentu Domini, vsque ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum vsque ad octauam Paschatis quantùm possunt nè Matrimonia contrahantur; sed ad tempora magis congrua differantur; Quòd si aliquis Matrimonij contractus fieri oporteat; prohibitiones tamen prædictæ nuptiarum, iuxta mentem Concilij, & Sac. Congreg. omnino, & seuerè custodiantur, sub grauissimis pœnis nostro reseruatis arbitrio. Denunciationes autem, & sponsalia eisdem temporibus permitti declarauit Sacra Congregatio Episcoporum anno 1589. die 12. Decembris.

Caput Vndecimum.

Cùm rationi,& honeſtati optimè conſonum ſit, etiam ſi ad validitatem Sacramenti minimè neceſſarium, quòd filij familias in re tanti momenti parentum,vel eorum, quorum fidei,& poteſtati ſubiecti ſunt, voluntatem , & conſilia ſequantur : Parochi antequam illorum Matrimonio aſſiſtant,de eorum conſenſu requirant,& ſi quid difficultatis occurrerit,Nos conſulant, vt quid in ea re congruum viſum fuerit decernamus.Nemo tamen audeat directè,vel indirectè ſub anathematis pœna ipſo facto incurrenda, perſonas ſibi ſubiectas, vel alias quaſcunque quouis modo ad determinata,& particularia Matrimonia ineunda cogere:Si verò caſus acciderit,vt mulier ſit per vim abrepta,ſtatim in locum tutum reſtituatur,ac Epiſcopus conſulatur, vt quid ea de re agendum ſit,maturiùs decernatur.Nemo etiam Matrimonialem Thorum quauis de cauſa deſerere,& ab alterius coniugis domicilio,& conuictu diſcedere præſumat , niſi priùs huiuſmodi ſeparationis , aut diuortij cauſam in noſtra Curia clarè probauerit, & per legitimam ſententiam eiuſdem ſeparationis veniam obtinuerit ; Si ſecus aliquis fecerit, & ad priſtinam vitæ ſocietatem per diligentiam Parochi ſtatim non ſe reduxerit,Sacramentalis Confeſſionis,& Communionis, etiam Paſchatis beneficio priuetur ; & ſi non profecerit, certiores Nos, vel noſtrum Vicarium redddat Parochus,vt facti, & iuris remedijs opportunè prouidere poſſimus.

Caput Duodecimum.

Poſtremò Parochis præcipimus,vt Matrimoniorum omnium,quæ in eorum Parochijs contrahuntur perennem ſeruent memoriam , librumque ad hoc conficiant, in quo denunciationes, Dominicis, alijſque feſtis ab ipſis factæ,& celebrati Matrimonij dies,locus, & coniugum,Teſtiumque nomina, & cognomina diſtinctè deſcribant, iuxta inſtructiones aliàs datas,& dandas in Appendice huius Synodi, illumque oſtendant Nobis in viſitatione cum alijs Parochialibus libris bene confectis. De reliquis conſulatur Rituale Romanum, rubrica de Matrimonij Sacramento.

TITVLVS XXIV.

De Miſſarum celebratione.

Caput Primum.

VEnerandum Miſſæ ſacrificium,quo nullum diuinius eſt, nec eſſe poteſt, cùm in eodem ille Chriſtus incruenter immoletur, qui in

ara

ara Crucis semel seipsum cruenter obtulit, tota animi deuotione, ac puritate, quia etiam debitis ritibus, & cæremonijs sanctè, & maturè est peragendum. Sacerdotes igitur in primis frequenter, & saltem semel in hebdomada sua peccata, licet venialia confiteantur. Cùm ad Sacristiā venerint lotis manibus, & consuetis orationibus, deuotè, & cum silentio altitudinem tanti Mysterij peragendi recogitent, atque interiùs, exteriùsque mundati, incessu graui, oculis in terram modestè demissis, ad Sacrum accedant Altare. In ipso deinde Sacrificio, quæ altè pronunciari debent, clarè, & intelligibili voce pronuncient; quæ verò secretò, taliter proferant, vt ab ipsis tantùm, non à circumstantibus audiri possint, nec propter nimiam accelerationem verba, præsertim Canonis mutilent; omnesque cæremonias præscriptas diligenter obseruent, & tandem omnia ita deuotè, aptè, & moderatè præstent, vt qui Missæ interesrint, ad deuotionem, & pietatem excitentur, & tanti Sacrificij sanctitatem agnoscant, & venerentur. Neminem in Altari expectent, & multò minus inchoatam Missam intermittant, aut à capite iterum incipiant.

Caput Secundum.

Nemo sub quocunque etiam deuotionis prętextu audeat aliquid addere, vel detrahere sacris cæremonijs, & rubricis Missalis Romani, in quibus si notabiliter defecerit, sciat se mortaliter peccasse. Neque vllæ Missæ recitentur, nisi fuerint in eodem Missali impressæ, vel à Sacra Rituum Congregatione approbatæ. Sicut autem ea, quæ legi possunt in Missa, non debent tantùm memoriter dici; ita quę non possunt commodè legi, neque in Missali, neque in carta secretarum, debet vnusquisque Sacerdos memoriter addiscere, vti sunt præsertim: *Aufer à Nobis quæsumus Domine, &c. Munda cor meum, &c. Deus, qui humanæ substantiæ, &c. Lauabo inter Innocentes, &c. Vt meum, ac vestrum Sacrificium, &c.* & sic de reliquis, sub pœna suspensionis à Sacrificio Missæ, & alijs ad nostrum arbitrium: In Hostiæ, & Calicis eleuatione, non Hostiam ipsam, aut Calicem post caput attollant, & quando post sumptionem sanguinis purificantur, diligenter aduertant, vt purificatio transeat per eandem partem Calicis, per quam transijt, & sanguis.

Caput Tertium.

Sacrista ante Missæ inchoationem, vel alius Minister in Altari præparet omnia necessaria, præsertim candelas accensas, vrceolos cum vino, & aqua, ac sudariolum; nè Missa incepta cogatur Minister cum Populi admiratione, derisione, & scandalo, hùc, illùcque vagari, ac celebrans expectare. Quod quidem sudariolum, vnà cum peluicula decente, in qua reponantur vrceoli, omnino ad Altare deferri, sub pœna vnius aurei tum Sacerdotibus, tum Sacristis respectiuè præcipimus; expressè pro-

prohibentes, & detestantes abusum illum, quòd vrceoli super tobaleas Altaris porrigantur,& quòd tobaleæ ipsæ,vel etiam purificatorium ad manus abstergendas post offertorium adhibeantur. Luminaria in Missis priuatis sint duo ex cera alba iuxta Decretum Sacræ Congregationis,nec extinguantur, nisi lecto Euangelio post datam benedictionem. Celebrans Laicos Ministros nè facilè assumat,si Clerici haberi possint, qui superpelliceũ omninò habeãt,nec aliter induti ad seruitiũ admittãtur. Cœterùm qui ex Clericis deseruire Sacerdoti renuerint, pœnã carceris per dies quindecim omnino exequẽdam subeant;stabimusq; quoad hoc iuramento Sacerdotis. Hinc infra duos menses, qui superpellicea non habent,conficiẽda sibi curent,sub pœna vnius mensis carceris.

Caput Quartum.

Nullus celebrare præsumat, nisi veste talari indutus,sub pœna scutorum trium pro qualibet vice, & in subsidium suspensionis, tum Sacerdoti celebranti, tum Ecclesiæ Rectori, aut Sacristæ permittenti: Sicut autem celebrare cum vestibus non benedictis,aut laceratis, & immundis notabiliter,& præsertim sordidis corporalibus,ac purificatorijs,nõ fit sine labe peccati mortalis; ita expresse præcipimus omnibus celebrantibus,nè eis vllo modo vtantur,& Ecclesiæ Rectoribus,Sacristis,ac alijs,ad quos spectat, nedum vt lacera refici, & immunda mundari curent:sed omnia indumenta,vasa,aliaque instrumenta sacra,prẹsertim Calices,Corporalia,& Purificatoria,omni prorsus nitore præfulgeant, sub pœna aureorum quinque,& alia Nobis arbitraria. Indumenta verò Sacerdotalia, non nisi à Nobis, aut de nostri licentia debent esse benedicta;sine qua Superiores Regulares alienas sacras suppellectiles benedicere nequeunt ex Decreto Sacræ Congregationis Rit. 24. Augusti 1609.

Caput Quintum.

Exemplo nostrorum Prædecessorum constituimus, & mandamus; vt iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini Sacerdotes, licet nulla habeant onera Missarum, saltem Dominicis diebus, & festis solemnibus celebrent. Qui verò curam animarum habent,tam frequenter,vt muneri satisfaciant suo; quod non aliter videbitur adimpleri, nisi ad minus ter in qualibet hebdomada sacrum faciant;Et qui in hoc deliquerit,nisi morbo, vel alio grauissimo impedimento detentus, grauiter punietur, etiam suspensione ab officio.E licet id inuiolabiliter obseruari mandamus: hortamur tamen omnes, vt singulis diebus curent cum debita dispositione,ac præparatione Missam celebrare: Nam Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens,*quantum in eo est priuat Sanctissimã Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia,peccatores venia,iustos subsidio,*

in

in Purgatorio existentes grato refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & seipsum medicina, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. Item priuat se omnibus bonis ex Sacra Communione prouenientibus; quæ sunt Peccatorum remissio, Fomitis mitigatio, Mentis illuminatio, Interior refectio, Christi, & Corporis eius mistici incorporatio, Virtutum roboratio, contra Diabolum armatio, Fidei certitudo, Spei eleuatio, Charitatis excitatio, Deuotionis augmentatio, & Angelorum conuiuatio.

Caput Sextum.

In Ecclesijs, vbi sufficiens adest numerus Sacerdotum, vel ad minus duo, saltem in festis de præcepto vna Missa in aurora celebretur per hebdomadam, pro pauperum, & rusticorum, nec non viduarum, & aliarum mulierum condignis vestibus carentium commoditate: in qua celebrans partes etiam essentiales doctrinæ, vt supra explicet; & Missam ante ortum Solis incipiat, vt mandauit Sacra Congregatio Episcopo Vestano 18. Februarij 1592. Vbi verò Parochus solus sacrificat, eam horam potissimùm eligat, quæ commodior erit Populo. Cæterùm moneantur omnes, qui interesse possunt de Populo solemni Missæ, quòd tenentur conuenire ad illam, vt eorum Pastoris, & Rectoris vocem, & monita salutis audiant, necnon denunciationes, ædicta, & cætera, quæ Populo promulgari debent, intelligant. In Cappellis extra Parochiales Ecclesias, Missæ non celebrentur diebus festis de præcepto ante Missam Parochialem, ex Decreto Sacræ Congregationis Episcopo Sarzanen. 14. Maij 1585. Sicut etiam in Cappellis, & Altaribus eiusdē Parochialis Ecclesiæ, nisi post eleuationem Sacramenti in Missa maiori, & de licentia Parochi, sub pœna trium ducatorum. Qui quidem Parochus diligenter aduertere debet, nè omnes Missæ eodem tempore simul celebrentur, sed vna post aliam cum necessario interuallo, & Campanæ signis præcedentibus; & vltima dicatur vna hora circiter circa meridiē, vt detur locus omnibus satisfaciendi præcepto: Curentque Domini, vt Serui, Pastores, vinearum cultores, & omnes, qui ruri morantur, liberam facultatem habeant ad Missam veniendi festiuis diebus, & de hac obligatione Parochi eos iugiter moneant, scientes trangressores, vltra graue peccatum mortale pœnis etiam arbitrarijs esse obnoxios.

Caput Septimum.

Dum Nobis solemniter celebrantibus, vel assistentibus solemnis Missa peragitur, tunc in ea Ecclesia nullus interea celebret, quousque à Nobis Populo fuerit Pontificalis benedictio collata, sub pœna suspensionis à Diuinis; & sub eadem pœna præcipimus, vt in Altari, in quo Nos celebrauimus, nullus eadem die celebrare præsumat absque nostra licentia. Pileolo autem nemo vti audeat dum Missam celebrat; neque

dum

dum à Nobis solemniter celebrantibus, aut Missæ solemni interessentibus assistit, sub pœnis nostro arbitrio reseruatis.

Caput Octauum.

Sacro Præsbyteratus Ordine initiati, primam Missam celebrare non audeant, nisi priùs à Magistro cæremoniarum, vel alio ad id deputato examinati, & approbati; à Nobis, vel à nostro Generali Vicario licentiam in scriptis habeant, sub pœna suspensionis. Eisdem in primæ Missæ celebratione à solemnibus conuiuijs, commessationibus, ac choreis, & alijs actionibus indecentibus prorsus abstinere mandamus, sub pœnis ducatorum quinquaginta, & duorum mensium carceris, vt in Edicto in Appendice apponendo, & à Parochis publicando, quoties occasio aduenerit primam Missam canendi; omnem Consuetudinem in contrarium, vtpotè corruptelam abrogantes. Eleemosynæ autem ab ipsismet nouis Sacerdotibus intra Missarum solemnia per Ecclesiam deambulando nè colligantur. Permittitur tamen eis voluntarias oblationes ad gradus Altaris, vel ad fores Presbyterij recipere, ex rescripto Sacræ Congregationis ad Sanctum Carolum, & ad Archiepiscopum Panormitanum: Nullo tamen modo Diaconis, & Subdiaconis in canēdo prima vice Epistolam, & Euangelium.

Caput Nonum.

Ignoti Presbyteri, sicut, & Sacerdotes alterius Diœcesis (licet huic propinquæ) ad celebrationem Missarum non admittantur, nisi literis testimonialibus sui Ordinarij Nobis, vel nostro Vicario Generali ostēsis, licentiam in scriptis obtinuerint, sub pœna trium mensium carceris, tam pro admittentibus, quàm pro admissis sine talibus requisitis. Licentiam Presbyteris cognitis, vel peregrinantibus cum literis commendatitijs suorum Ordinariorum, concedere valeat quilibet Archipresbyter in suo loco pro tribus vicibus tantùm; cùm non tam facilis sit è quolibet loco ad nostram Curiam accessus pro licentia impetranda; dummodo tamen cum vestibus omnino decentibus, & compositis, debitaque tonsura sine comis eos incedere obseruauerint; aliàs nullatenus prædictam licentiam tribuant, nisi priùs Sacerdotaliter in omnibus se componant.

Caput Decimum.

In qualibet Sacristia adsit tabella, in qua descripta sint omnia Missarum, Anniuersariorum, & aliarum functionum onera, quæ ex legatis pijs, aut veteri consuetudine perpetuò, vel ad tempus adimplenda sunt; in qua distinctè adnotentur Missæ qualitas; Anima pro qua offertur; dies, & Altaria in quibus celebrari debet; Eleemosyna, quæ percipitur;

tur; à quo tribuitur; ob quam causam, &c. Adsit etiam liber, in quo omnes Sacerdotes tali onere adstricti manu propria Missam, quam tali die, in tali Altari celebrant, describant. Vt autem cum debito ordine, & claritate fiat, possitque faciliùs cognosci quis suo oneri solicitè satisfaciat, in præfato libro quisque Sacerdos determinatas habeat paginas, & in capite sint expressæ Missæ, quæ ab vnoquoque eo anno sunt celebrandæ, e. g. *N.N. Deue in quest'anno 1686. celebrare Messe num.* 200. *Per l'Anima di N.N. num.* 50. *Per l'Anima di N.N. num.* 25. & sic de singulis, vsque ad numerum completum. Deinde subsequatur satisfactionis attestatio cum propria subscriptione, e.g. *Io N. N. hoggi primo Settembre hò celebrato nell'Altare N. A dì 2. detto hò celebrato, &c.* & sic successiuè vsque ad numerum completum, sicque fiat de alijs taxatis Missis; & ita à reliquis Sacerdotibus in suis paginis eiusdem libri obseruetur. Post Missas de obligatione debent etiam adnotare Missas, quas celebrant ex sua deuotione, vel cum eleemosyna manuali. Et nè propter istas, Missę obligationis differantur, vel adimpleri non valeant, nullus Sacerdos alicuius Ecclesiæ seruitio adscriptus Missas manuales ab alijs recipere audeat sine Rectoris licentia, sub pœna suspensionis; & sub eadem, alijsque nostro arbitrio infligendis præcipimus, nè maior Missarum celebrandarum numerus suscipiatur, quàm per singulos dies, vel per breue tempus possit ei satisfieri. Caueantque locorum piorum Administratores, nè Missas, quæ non sunt ex onere, pro eorum arbitrio absque nostra licentia in scriptis danda, & in computis reddendis exhibenda, celebrari faciant, sub pœna soluendi de proprio.

Caput Vndecimum.

Onera Missarum perpetua à Capitulis, siue quarumcumque Ecclesiarum Rectoribus, siue piorum locorum Administratoribus, absque nostra licentia nullatenus suscipiantur. Hactenus verò suscepta, nemo priuata authoritate ex tenuitate redditus, vel alia de causa reducere, vel commutare audeat; sed pro illis reducendis, moderandis, aut commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur. In posterum autem, vt malis omnibus, quæ eisdem Capitulis, Ecclesijs, & locis pijs, ex legatis perpetuis sine vlla cautela susceptis, vsque modo euenerunt, occurramus, & opportunè prouideamus; hac Synodali Constitutione, omnibus pro omni futuro tempore notum facimus, ac statuimus; vt Missarum onera perpetua in futurum leganda, cessare habeant, prouentibus cessantibus, ex sui natura, & sine culpa illius, qui onus suscepit; itaut si pereant in totum, extinguatur etiā in totum onus celebrādi; & si in parte pereant, in parte etiam desinat onus; & sub hac cōditione, & cautela nostrum consensum, & licentiam pro ipsis legatis perpetuis suscipiendis & non aliàs præstabimus, & non aliter præstita intelligatur,

Caput Duodecimum.

In posterum pro qualibet Missa priuata manuali celebranda, non minus granis decem erogetur: At in Missis legatis in perpetuum pro qualibet priuata, grana quindecim ad minus taxamus. Pro Missa verò solemni ratione assistentiæ grana quinque cuilibet Sacerdoti, duplum Curato. In reliquis obseruentur Decreta Sacræ Congregationis de Celebratione Missarum, eiusdemque declarationes. Quantùm ad applicationē Missæ Conuentualis, cuius quotidianæ Celebrationis cū cantu obligatio stat penes Capitulum nostræ Cathedralis; sciant Capitulares omnes, talis Missæ applicationē fieri debere quotidie pro Benefactoribus, nec pro ea licere eleemosynā recipere, iuxta declarationes pluries à Sac. Cōgreg. Cōcilij emanatas, præsertim in Fulginaten. 24. Ianuarij 1620. *Cappellani diuisi per Hebdomadas Missas canunt Conuentuales ferialibus diebus; Canonici verò diebus festiuis, & ordinatis in Tabella: Ex quibus aliqui dubitant: quòd Missæ Conuentualis onus tale sit, vt pro ea eleemosyna ab aliquo recipi non liceat. Congregatio Concilij censuit non licere.* Et in alia Cesenaten. in responsionibus ad dubia proposita ab Eminentissimo Episcopo Vrsino, Capitulo, & Mansionarijs præsertim: *An in Ecclesia Cathedrali adsit obligatio quotidianæ applicationis Missæ Conuentualis pro Collegio; Et an Canonici, qui solis diebus festiuis de præcepto tenentur ad celebrandam Missam Conuentualem per turnum, teneantur applicare pro Collegio, &c. Sacra Congregatio Concilij, die 24. Maij 1581. ad suprascripta dubia respondit affirmatiuè pro Benefactoribus, &c. non obstante præbendarum tenuitate, &c.* In alijs verò Ecclesijs nostræ Diœcesis, cùm reuera Capitulares propriè, & Collegiatę non sint, sed tantùm Parochiales, non adest obligatio, nedum applicandi, sed nec etiam canendi, aut celebrandi quotidie Missam Conuentualem; laudabilem tamen consuetudinem canendi Missam non Conuentualem, sed Parochialem omnibus diebus Dominicis, & Festis de præcepto, plurimùm in Domino commendamus, & confirmamus. Sciant autem Parochialium Ecclesiarum Rectores, seu Parochi, huiusmodi Missæ applicationem diebus Dominicis, & Festis omnibus de præcepto fieri debere pro Fundatoribus, Benefactoribus, & suis Ouibus, absque eo quòd eisdem diebus aliam possint eleemosynam percipere iuxta Decreta Sacræ Congregationis in vna Ciuitatis Castellanæ, sub die 8. Augusti 1648. pluries repetita. Vbi autem adest consuetudo celebrandi quotidie pro Populo, seu Benefactoribus, omnino seruetur.

TITVLVS XXV.

De Chori Disciplina, Horis Canonicis, & Cantu.

Caput Primum.

COnsuetudinem Ecclesiarum, etiam non Collegiatarum recitandi in Choro horas Canonicas, vti personis Ecclesiasticis valde consonam, laudamus, approbamus, atque confirmamus. Vt autem hoc munus persoluatur; præcipimus, vt statis horis dato vltimo Campanæ signo, qui Sacris Officijs interesse debent talari veste induti, maturè, ac modestè ad Ecclesiam pergant; Eam ingressi aliquantulum ante Sanctissimum Sacramentum flexis genibus orent: Sacristiam postea petãt, ibique, & non alibi superpelliceum mundum sumant; & si sint Dignitates, aut Canonici, etiam Almutias, quas semper deferre volumus, sub pœna non lucrandi distributiones; Cùm verò maior pars psallentium sit coadunata, antequam è Sacristia exeant, paruula pulsetur Campana; & tum bini, & bini, modestè cum grauitate, & silentio Chorum adeant; ad quem cum peruenerint, vnusquisque genuflexus in suo loco paululum oret: Tum prima Dignitas, vel qui primum locum occupat, manu leuiter genuflexorium percutiat, tuncque recitata ab Hebdomadario voce aliquantulum elata breui illa oratione ante Officij inchoationem dicenda: *Aperi Domine os meum*, omnes surgant, & Hebdomadarius clara voce dicat: *Pater noster*, & expletis secretò dicendis, inchoet alta voce Officium; in cuius persolutione cuncti cæremonias in Rituali, & cæremoniali descriptas obseruent; Æquè stent, surgant, sedeant, genuflectant, caput aperiant, operiantuè, & inclinent: Alternis vocibus recitent, & cantent deuotè, attentè, distinctèque; Versus non syncopando, seu mutilando, sed verba omnia ita clarè pronunciando, vt quod dicunt, omnes intelligant, & in medio versiculi debitam faciãt pausam, nec labijs tantùm, & lingua, sed potissimùm mente, & corde Domino Deo psallendum esse recogitent, nè de ipsis cum magno animæ detrimento verificetur illud Isaiæ: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Absint itaque omnino risus, somnus, ioci, rixæ, colloquia; nec præter Breuiarium, alios libros, vel literas aut quæuis scripta perlegant. Bireto, non autem Galero omnes vtantur. Persoluto verò Officio non statim, & confusè à Choro discedant; sed paululum genuflexi orent: tum facto signo, vt supra per primam Dignitatẽ, vel eum, qui primum locum occupat in Choro, omnes surgant, & ordine, quo venerãt bini cum debita grauitate ad Sacristiam redeant; ibiq;

cùm omnes peruenerint, & non prius facta sibi inuicem mutua reuerentia, superpellicea deponant, & cum silentio de Ecclesia exeant. Contrauenientes, pœna pro qualitate delicti, seu defectus indispensabiliter punientur.

Caput Secundum.

Si quis inchoato Officio ad Chorum peruenerit, primò in medio Chori versus Altare paululum oret. Tum surgens, & inclinato capite ad Altare, vertens se, si in medio Chori sit aliqua Sacra Imago, vel Reliquia, priùs capitis inclinatione hanc salutet, mox omnes de Clero, incipiendo à primis, & tunc omnes eiusdem ordinis surgant, detectoq; capite ei salutationem reddant. Si adueniens fuerit Dignitas, vel Canonicus; cuncti prorsus surgant. Si Capitularis, qui non sit Dignitas, neq; Canonicus; Dignitates, & Canonici tantùm caput aperiant, & inclinent, cœteri autem surgant. Si Sacerdos simplex non Capitularis, simplices Sacerdotes, & Clerici tantùm surgant; Capitulares verò eum capitis detecti inclinatione salutent. Si Clericus solummodo, assurgant Clerici. Quòd si nondum expleto officio de Choro discedere alicui necesse erit (quod non permittatur, nisi graui causa) id non præstet, nisi petita venia, vel à Præfecto Chori (vbi aderit) vel à prima Dignitate, aut Rectore, aut alio primum locum in Choro occupante: Tum ante discessum omnes de Choro salutet, omnesque ei salutationem reddant, modo, & ritu, quo supra: Sicque inuiolabiliter obseruari mandamus, non obstante quacunque contraria consuetudine, sub pœna vnius caroleni pro qualibet vice, & alijs ad nostrum arbitrium: Cui duplicatæ pœnæ eos submittimus, qui in ministerio sibi imposito adimplendo, passu incedunt celerrimo Ecclesiasticæ incongruo grauitati.

Caput Tertium.

Permissum nostrorum antiquorum Prædecessorum, quòd scilicet Capitulum nostræ Cathedralis in diebus tantùm ferialibus possit diuidi in duas Hebdomadas, itaut in vnaquaque sint Dignitates, Canonici, cœterique Presbyteri, & in Sacris constituti propter redditauum tenuitatem, ob eorum reuerentiam pro modo non reuocamus, vsque dum Sacra Congregatio aliud decernat; quam consulere, vti debent pro eorum conscientiæ indemnitate omnes de Capitulo enixè hortamur; & interim inuiolabiliter obseruetur, sicuti obseruari mandamus, quod ab eisdem Prædecessoribus nostris præscriptum fuit; Videlicet, quod excipiantur tempora Quadragesimæ, Aduentus, & Octaua Corporis Christi, in quibus, sicuti, & in diebus Dominicis, & alijs Festis de præcepto, & quotiescunque Episcopus Choro assistit omnes conueniant. Eligantur autem duo punctatores singulis annis iuxta solitum,

vnus à Nobis, alter à Capitulo, vitæ, ac morum probitate laudabiles, qui iurent se fideliter, & absque personarum exceptione officium suum præstituros; distinctè notando in libro, ad hoc specialiter deputato absentes, seu in hæc Decreta delinquentes, mensèque quolibet punctationum rationes conferant: Punctus erit primus in Matutinis cum laudibus, secundus in alijs quatuor Horis, tertius in Missa, quartus in Vesperis; In Completorijs tempore Quadragesimæ quintus; & pro vnaquaque vice decima pars caroleni in diebus ferialibus; in Festis, ac in tota Quadragesima, & Aduentu, ac Octaua Corporis Christi duplum: In solemnibus verò, & quotiescunque Nos solemniter celebraturi sumus, & in generalibus Processionibus quadruplum. Quos quidem punctos decernimus omnino distribui inter præsentes tantùm in fine anni, vel quoties diuiduntur alij introitus; Quòd si non seruetur, statim intelligantur applicati, prout nunc applicamus Sacristiæ. In reliquis verò Ecclesijs nostræ Diœcesis Punctatores sint Rectores, hisque absentibus, eorum vices gerentes. Adnotentur autem hi, qui in Matutinis ante secundum Psalmum primi Nocturni in Choro non venerint; In Missa ante inceptam Epistolam; In Vesperis ante secundum Psalmum inceptum; similiter in Nocturno Mortuorum; & quando cadauer ad sepulturam est deferendum sub Cruce comitaturi non aderint; Sicut etiã qui absque rationabili causa, & sine licentia illius, qui præest, è Choro exire præsumpserint.

Caput Quartum.

Volumus autem, quòd in diebus Festis de præcepto, & in generalibus processionibus, & quoties Nos solemniter celebrare contigerit, omnes Sacerdotes, etiam non participantes de distributionibus, & Clerici omnes Choro intersint, & non interessentes absque legitimo impedimento (à nostro Vicario Generali approbando) soluant tantundem, ac importat punctus non interessentium de Capitulo: Quam pœnam à Thesaurario exigendam infallibiliter, iuxta notam habitam singulis mensibus à Punctatoribus, ex nunc pariter applicamus Sacræ Sacristiæ supellectili. Missa autem Conuentualis celebretur immediatè post Tertiam, aut Sextam, aut Nonam, iuxta Rubricas, & post Missam immediatè dicatur Hora, vel Horæ, quæ superfuerint; Nec omittatur cantari dicta Missa Conuentualis propria die vllo titulo, etiam si alia votiua, vel anniuersaria fuerit cantata, iuxta præscriptum Sacræ Congregationis, sub pœna priuationis omnium distributionum illius diei; Et in diebus Quadragesimæ, Vigiliarum, & Quatuor temporum, in quibus Festa duplicia occurrunt, iuxta mentem eiusdem Sacræ Congregationis cantari debent duæ Missæ, vna de Sancto, & alia de Feria. Officium verò paruum B.M.V. Defunctorum, Psalmi Pœnitentiales, &

Gra-

Graduales recitari in Choro diebus à Rubrica præscriptis, nullatenus omittantur, iuxta Decretum Sacræ Congregationis in Alexandrina 18. Martij 1586. De cætero quoad cæremonias præcipimus præstari promptam obedientiam Magistris cæremoniarum à Nobis in Cathedrali, & à Parochis in alijs Ecclesijs destinatis, qui in solemnioribus Festiuitatibus ante tres dies notulam faciant, ac in Sacristia figant omnium Ministrorum, cum pœna assignata contra inobedientes. Nobis autem solemniter celebrantibus in Cathedrali semper Canonici seniores assistant; sicut & extra Cathedralem Presbyteri digniores.

Caput Quintum.

Quando in Choro Diuinum persoluitur Officium, vel canitur Missa, & in Sacristia durante tempore celebrationis Missarum, nullos Sæculares ingredi, & existere expreisè iubemus, sub pœna sex carolenorũ Præfectis Chori, & Sacristis, vel alijs admittentibus, & ingressos non reijcientibus; Laicis verò resistentibus, sub pœna expulsionis ab ingressu Ecclesiæ. In illis verò Ecclesijs, vbi Ecclesiastici omnino deficiunt; permittimus Archipresbytero, vt pro sua prudentia illos tantummodo Sæculares in Choro ad canendum admittat, qui magis honesti, deuoti, & idonei ipsi videntur, vt omnis confusio, tumultus, & indecentia euitetur, in quo eius conscientiam oneramus. Quantum verò ad tempus Diuina Officia, & Missas celebrandi; inhibentes in Choro pro eorum arbitratu congregari ad talia celebranda, præcipimus sub pœnis nostro reseruatis arbitrio, tam Sacristis, quam Chori Præfectis, vt omnino seruent horarum distributionem, seu Tabellam horariam, quã Sacra Congregatio Episcoporum in vna Aretina die 30. Martij 1599. præscripsit, & nos in Appendice apponemus; sicut, & eius copiam in Sacristia affixam continuò teneri mandamus.

Caput Sextum.

Quoniam verò ex ignorantia cantus, quæ valde in hac viget Diœcesi multa inconuenientia, derisiones, & absurda eueniunt; ad huiusmodi euitanda, vti debemus: Hac Synodali Constitutione decernimus, vt in Ciuitate, & in alijs grandioribus Diœcesis Oppidis, Schola aperiatur cantus saltem Gregoriani, à Magistris à Nobis destinandis, & à Parochis inueniendis; cui interuenire illos in primis teneri volumus, qui in aliquo Capitulo, seu Clero participant (exceptis senioribus & qui viginti ab hinc annis Capitulis sunt adscripti, quos tantùm hortamur, vsque quo in cantu ipso adeo profecerint, vt per veridicam Magistri cantus fidem Nobis constare poterit, ipsum sufficienter didicisse, sub pœna soluendi pro quolibet mense carolenos quatuor pijs vsibus, &c. Clericos autem ad recipiendum ordines minores, & maiores nequa-

quaquam admitti statuimus, nisi cantum prædictum Gregorianum sufficienter callere deprehensi fuerint; ac propterea examini Magistri Musices huius Ciuitatis in Generali examine ordinandorum eos subijcimus.

TITVLVS XXVI.
De Casuum Conscientiæ collatione.

Caput Primum.

MAxima ignorantia laborare quamplurimos nostræ Diœcesis Ecclesiasticos summo animi mærore compertum est; Vnde licet permulti sint numero, habilitate tamen pauci inueniuntur, qui Sacramentorum administrationi, Animarumque regimini valeant destinari; Vt autem huic grauissimo malo, nec non, & otio (omnium vitiorum fonti) pro posse occurramus; vltra erectionem Seminarij iam decretatam, quam á Deo speramus complendam, Sacræ Visitationis Apostolicæ Decretis inhærendo, districté præcipimus, vt in quacunque Ecclesia, vbi tres ad minus Ecclesiastici, siue Sacerdotes, siue Clerici ad eius seruitium sunt adscripti, qualibet mensis Hebdomada, die á Rectore præscribenda post Vesperas in Sacristia, vel alio loco in Visitatione designando, ab eodem congregentur, sub pœna suspensionis; ibique eo Præfecto, breui oratione præmissa, breuique lectione seu explicatione facta, discutiantur ad minus per horam casus in præcedenti Congregatione propositi; quorum duo, vel saltem vnus sit ex morali Theologia, vel Iure Canonico; alter veró, ex Sacris Ritibus, & cæremonijs Missalis Romani, cui studio sedulam operam dare teneantur.

Caput Secundum.

Si quis Congregationi huic non intererit, dum legitima non adsit causa á Rectore probanda, pro vnaquaque vice soluat irremisibiliter carolenum vnum, qui applicabitur coëmendis libris pro eadem Congregatione. Negligentium notam conficiat Rector, & ad nos tertio quoque mense transmittat, vt perseuerantes in sua negligentia corrigere, siue punire possimus. Clerici veró ad altiores ordines promouendi, nisi Rectoris attestationem habuerint, eos assiduè huic collationi interfuisse, nullatenus admittentur. Casuum autem decisorum liber a Secretario deputando per Præfectum, conficiatur; vt Nobis in Visitatione exhiberi possit, & si quid corrigendum sit, corrigatur. In locis veró, vbi Ecclesiastici pauciores sunt tribus, cùm commodè collatio hæc haberi non possit, ad vicinioris loci conferentiam eant; vel si legitimo sint detenti impedimento, saltem singuli camerali studio dictorũ

ca-

casuum sedulò vacent. Ideoque nullus sit, qui saltem vnam summam Casuum Conscientiæ apud se continuò non habeat. Expaueantque illam Diuinam sententiam: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi:* ac certo sciant, quòd Nos vtporè Diuinæ Voluntatis Executores, in posterum, non solùm ignorantia laborantes, ad vlteriora non promouebimus, verùm etiam promotos inuiolabiliter suspendemus. Et vt magis accuratè hoc exercitium Presbyteri exequantur, bis in anno mense post Octauam Paschatis, & post Festum Sancti Francisci quilibet Vicarius foraneus Terras suæ foraniæ visitet, & videat; an aliquis defectus in tam necessario opere adsit; audiat casus propositos vsque ad illud tempus, & materiam proponat, qua Præsbyteri se instructos ostendant in sequenti sua visitatione, & de omnibus ad Nos relationem faciant.

TITVLVS XXVII.
De Vita, & Honestate Clericorum.

Caput Primum.

CVm Ecclesiastici homines spectaculum facti sint Deo, Angelis, & hominibus; non solummodo interiora animæ, verum etiam exteriora corporis, omnemque vitæ rationem probè, & religiosè componere, & instituere tenentur. Quapropter eos omnes hortamur, & per viscera Misericordiæ Dei nostri obsecramus, eisque etiam mandamus, vt vocationis suæ, suæque conditionis, & officij memores, vitam, moresque suos, ita ad Christi, & Sanctorum exempla componant, vt habitu, victu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus factis & actionibus nil nisi graue, moderatum, & Religionis plenum præseferentes, ædificent cunctos, tam Fidei scientia, quam operum disciplina; recogitentque se Deo seruire, non mundo. Hinc meminerint in primis Clerici omnes in minoribus, Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequentare ad præscriptum harum Constitutionum, Cap. 4. Tit 29. In Sacris verò cõstituti singulis Dominicis, & quoties Altari solemniter ministrabunt, communicent; aliàs ad altiores ordines non admittantur. Et quemadmodum hoc Synodali Decreto confirmamus, & roboramus Edictum illud, seu Decretum aliàs editum iuxta mandatum Sanctissimi Domini Nostri Innocentij Vndecimi fœliciter regnantis, de exercitijs spiritualibus per decem dies ab ipsis Clericis ante ordinationem peragendis, quotiescunque ordinem aliquem recipere volunt; ita enixè hortamur omnes huius nostræ Diœcesis Sacerdotes, vt semel saltem in anno huiusmodi spiritualia exercitia, quæ ad perfectam vitam Ecclesiasticam componendam, ac stabiliendam mirabiliter conducunt, amplectan-

ftantur, & à rebus alijs fequeftrati per aliquot dies, toti Sacrorum librorum lectioni, Diuinorum Myfteriorum meditationi, carnis mortificationi, caftiffimo animi fenfu feruidè incumbant: Vnde omnes apud fe habere debent Sacros libros, Bibliam Sacram, Catechifmum Romanum, Sacrum Concilium Tridentinum, has noftras Conftitutiones, aliosue libros morales, & fpirituales affiduè eos voluentes, & perlegētes, & maximè, quæ de fancta meditatione, feu oratione mentali pertractant; Cuius exercitium diebus fingulis per dimidiam faltem horā amplecti non defiftant: ipfa enim inter cœteras virtutes magis mentē purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit exceffus, componit mores, vitam honeftat, & ordinat: Nec dormitum accedant fine præuio confcientiæ examine, & actu contritionis.

Caput Secundum.

Quicunque autem Clericali nomine cenfentur, fiue in minoribus, fiue in Sacris conftituti, & præfertim Beneficiati, vefte non nifi coloris nigri vtantur, quæ in Ecclefia fit verè talaris, integra bene claufa, totaliter bracchia cooperiens, absque manicis appenfis, & non fine cinta: Extra Ecclefiam verò liceat aliquando vti vefte non talari, præfertim itinerando, fed quæ ad minus, mediam tibiam excedat; idque feruent omnes, fub pœna amiffionis veftium, & librarum quindecim ceræ albæ. Et nè iuxta Ifaiam fit, *Sicut Populus, fic Sacerdos*, fub eadem inhibemus pœna, nè colores Ecclefiafticis indecentes, rubeos, cæruleos, virides, & fimiles, aurum, vel argentum in veftitu, itaut aliquid vanitatis, aut quod ad fuperbiam, & vanam gloriam pertineat, poffit in ipfis notari, deferant. Illi verò, qui veftibus laceris, fordidis, & indecenter compactis, cū dedecore Ecclefiaftici ftatus inceſſerint, pœna carceris punientur; Quòd fi femel correpti in fupradictis denuo deliquerint, etiam ad priuationem officiorum, & beneficiorum iuxta Cōcilij Tridentini difpofitionem, & Sixti V. Conftitutionem deueniemus. Quandocunque verò Clericus in Minoribus per menfes fex etiam interpellatos, habitū Clericalem, & Tonfuram non geftauerit, hac Synodali vnica pro trina monitione præmiffa ipfo facto beneficio, & priuilegijs Clericalibus priuatus exiftat absque alia declaratione.

Caput Tertium.

Annulos aureos, vel argenteos in digitis nè deferant, nifi eorum dignitas iure illis concedat; nunquam tamen dum Miffæ Sacrificium perfoluunt, fub pœna amiffionis annuli, & alijs arbitrarijs: Clericalem coronam octauo quoque die renouandam, continuò gerant talis magnitudinis, qualem gradus, & ordo in quo fuerint, poftulat, & præfertim in Sacerdotibus non fit minor hoftiæ magnitudine. Barbam non

deat sine nostra expressa licentia cuiuscunque generis arma domi retinere, vel secum gestare, aut eis vti, sub pœna ducatorum viginti. Pro armis autem breuioribus, vt sunt pistolæ, archibuscetti, stiletti, pugiones, cultri, vt vocant ad frondem oliuæ, & alijs similibus addimus pœnam excommunicationis ipso facto, & triremium per annos quinque, quam pœnam incurrant etiam illi, qui tantùm visi fuerint talia arma deferre, licet cum eis deprehensi non fuerint. Insuper qui absque Clericali habitu extra domum deprehensus, vel visus fuerit, nulla existente causa à iure permissa, prima vice per tres menses in carcerem detrudatur, pro secunda vice duplicetur pœna; Qui autem prima tonsura, aut etiam minoribus initiatus habitum Clericalem dimiserit, non possit eundem pro libito reassumere absque nostra speciali licentia, sub pœna ducatorum triginta, & etiam carceris ad nostrum arbitrium.

Caput Sextum.

Nullus Clericus à nostra Diœcesi, nec vllus residentiali Ecclesiæ seruitio addictus, ab ea discedere audeat absque nostra, vel nostri Generalis Vicarij licentia in scriptis, sub pœna ducatorum sex. Pro casibus verò repentinæ necessitatis, abesse per quatuor dies concedimus. Nullus Clericus cum mulieribus habitare (matre, sorore, amita, matertera, & fratrum viuentium vxoribus, necnon fratrum, vel sororum filiabus exceptis) audeat, sub pœna ducatorum viginti quinque; Nec quia nullius culpæ conscij sibi sint, obliuiscantur se se ad tollenda scandala, debitores esse sapientibus, & insipientibus; ac propterea à colloquijs, & consortijs mulierum, præsertim illarum, de quibus aliqua possit oriri suspicio, omnino abstineant; alias pœnas etiam corporis afflictiuas nostro arbitrio subibunt. Quicunque verò cum banditis, foriudicatis, & huiusmodi facinorosis hominibus consuetudinem habuerit, communicauerit, illosque duxerit, vel quouis alio modo cibum, auxilium, & fauorem illis præstiterit, pro prima vice ad carceres per annum, pro secunda ad triremes per triennium damnetur, licet aliquod malum inde sequutum non fuerit. Nemo noctis tempore, præsertim post duas noctis horas è domo in publicum exeat: Et si exeundi iusta vrgeat necessitas, exeat, nonnisi lumen per se, vel per alium deferendo; nunquam autem sonando, aut cantando, sub pœna scutorum decem, & etiam carceris nostro arbitrio. Hinc Dominos, Gubernatores Ciuitatis, & Diœcesis nostræ in Domino rogamus, vt nostræ subiectos iurisdictioni, quos sic de nocte perambulantes repererint, carcerent, Ministris Episcopalis Curiæ de mane consignandos; & pro tali carceratione Ministris Curiæ Sæcularis medietas præfatæ pœnæ pecuniariæ intelligitur applicata.

Caput Septimum.

Ecclesiastici negotiationes, & mercaturas Apostolicis Constitutionibus damnatas, nullatenus exerceant, sub pœna ducatorum quinquaginta vltra amissionem ipsarum rerum, quæ subfuerunt negotio, pijs vsibus applicandarum; liceat tamen eisdem conducere Ecclesiarū, vel Ecclesiasticorum Territoria per colonos, & famulos colenda: Insuper pascua, quibus animalia propria depascantur: Animalia etiam habere pro Territorijs proprijs impinguandis, & pascendis; illaque vendere, vel renouare, vt persæpe Sacra Congregatio 15. Nouembris 1616. Nuntio Neapolitano pro Episcopo Telesino rescripsit: Videlicet: *Cùm Clerus Terræ Amorosij Telesinæ Diœcesis Sacræ Congregationi exposuisset, tanta egestate laborare, vt cum bonorum Patrimonialium, Beneficiorumque, quæ obtinent, fructibus decenter substentari nequeat: Illustrissimi eiusdem Sacræ Congregationis Patres Nuntio prædicto literas dari iusserunt, quatenus sinat, vt Clerus prædictus, illiusque singulares personæ Terras Ecclesiasticas dumtaxat conducant, illasque mediantibus famulis colant; Herbas verò, & pascua à quocunque ad effectum pascendi animalia, quæ ad dictas Terras colendas, & impiguandas necessaria fuerint; prædictumque Clerum, aut quemlibet illius, illorumque hæredes illicitæ negotiationis prætextu non molestandos declaret.* Et eodem die eidem pro Clero Pali; idest *Clerus Pali Baren. Diœc. illiusque singulares personæ prætextu negotiationis illicitæ, eò quia eorum bona Patrimonialia, ac Beneficiorum, quæ obtinent excoli faciant, animaliaque ad hunc effectum necessaria emunt, venduntque, per Nuntij subcollectores molestari exposuerunt. Quare Illustrissimi Sacræ Congregationis Patres prædicto Nuntio iniunxerunt, vt prouideat, nè Clerus prædictus, illiusque singulares personæ hac de causa molestentur.* Quaproptcr iniungimus Vicarijs foraneis, & vbi hi non adsunt, Archipresbyteris, quatenus inuigilent, nè à subcollectoribus subditi nostri vexentur, sed ab omnibus iniustis molestijs eos defendant, statimque Nos certiores de his reddāt, sub pœna soluendi de proprio, resarciendique damnum, & interesse à nostris subditis passum. Insuper tutelas, curasue non suscipiant, nec quærelas, etiam citra pœnam sanguinis exponant; Nec in quocumque foro, & Curia Sæculari compareant, aut testimonium ferant; Neque obligationis aliquod, vel Fidei iussionis vinculum subeant, absque nostra licentia, sub pœnis ad nostrum arbitrium.

Caput Octauum.

Denique Clerici in prima Tonsura, aut minoribus Ordinibus Constituti, nedum si in habitu talari cum cingulo, & tonsura, vt supra, non incedant, sed etiam si Seminario, seu Ecclesiæ cui fuerint adscripti, per dies iuxta Tabellas in qualibet Ecclesia faciendas non inseruiant, aut

studijs in aliqua schola de licentia nostræ Curiæ non vacent; de quorum obseruantia, aut defectu stabitur relationi iuratæ Curati, vel Rectoris Seminarij, seu scholæ respectiuè; ex nunc pro tunc condemnantur ad pœnam tantæ pecuniæ erogandæ pauperibus loci, quantam important immunitates à collectis, & gabellis, quibus gaudent; vltra alias pœnas carceris, ac priuilegij fori amissionem, iuxta Sacr. Conc. Trid. Decretum. Et cùm de Ecclesiasticis omnibus scriptum sit: *Vos elegit Dominus, vt stetis coram eo, & ministretis, colatisue eum, & cremetis ei incensum*: Propterea Decreta in Sancta Visitatione à Nobis facta hac Synodali Constitutione roboramus; mandantes, vt Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi etiam si Ecclesiæ Clero adscripti non sint, neque participent diebus Dominicis, & Festis de præcepto in Choro Diuinis interesse Officijs teneantur, iuxta Sacri Concil. Trid. mentem, aliàs vltra pœnam iam assignatam, grauiorem subibunt nostro arbitrio, nè deplorabile illud Ieremiæ amplius contingat, quòd diebus Deo specialiter dicatis, conspiciantur: *Lapides Sanctuarij dispersi in capite omnium platearum*. Mandamus præterea Ecclesiarum Rectoribus, vt talibus Sacerdotibus à dicto seruitio deficientibus Sacram supellectilem suæ Ecclesiæ omnino denegent.

TITVLVS XXVIII.

De Institutione, seu Erectione Seminarij.

Caput Vnicum.

TAntæ vtilitatis, ac necessitatis in Ecclesijs, seu Diœcesibus à Sac. Conc. Trid. visa fuit Seminariorum institutio pro Iuuenibus in literis, moribus, & Ecclesiastica disciplina rectè educandis, vt nedum institutionem ipsam, sed & modum huiusmodi Seminaria instituendi, ac erigendi in celebri illo capite 18. sess. 23. Episcopis omnibus seriò præscripsit, inculcauit, ac mandauit. Et reuera ex tot, tantisque bonis, quæ Ecclesiæ Dei è talibus institutis Seminarijs prouenerunt, & euenire non cessant, nonnisi Spiritu Sancto dictante, & a Domino factum esse istud fateri debemus. Hanc autem Ecclesiam dilectissimam Sponsam nostram tali, ac tanto præsidio, & ornamento, Clericorum scilicet Seminario, non sine graui animi dolore destitutam videmus; ac proinde cum Isaia exclamare cogimur: *Vbi literatus? Vbi legis verba ponderans? Vbi Doctor paruulorum?* Volentes igitur pro pastoralis vigilantiæ munere tanto malo occurrere, tantumque bonum Dei auxilio procurare, licet per viam tantùm ordinariam, & modum præscriptum a præfato Sacro Concilio, ob Ecclesiasticorum huius Diœcesis redditus tenuitatem, ad hunc finem peruenire difficillimè valeamus, tamen Di-

uinæ Prouidentiæ innixi per media etiam extraordinaria peruenire sperantes, erectionem Seminarij Clericorum in hac Ciuitate faciendã decernimus; ad quem finem statuimus ex eodem Concilio, vt deputentur quatuor, duo de Capitulo, & duo de Clero Ciuitatis; quorum alterius electio de eodem Capitulo à Nobis, alterius verò à Capitulo fiat; qua electione peracta, de eorum consilio congruam omnium fructuum Ecclesiasticorum huius Ciuitatis, & Diœcesis portionem, & nonnulla Ecclesiastica beneficia simplicia, absque possidentium præiudicio eidem Seminario applicabimus, vsquequo aliunde Seminarium ipsum de alijs prouideatur redditibus.

TITVLVS XXIX.

De Regularibus.

Caput Primum.

QVandoquidem non tantùm ex Clericis Sæcularibus rectè instructis, sed potissimùm ex Regularibus, qui mundi illecebris, & inquinamentis posthabitis, strictiori vitæ forma sub suaui Religionis iugo Diuinis obsequijs mancipantur, plurimum in Ecclesia Dei splendoris, & vtilitatis accedit; Ideo Regulares ipsos omnes in Domino enixè admonemus, atque hortamur, vt ante omnia ad eius Regulæ formam, quam profitentur, ita vitam instituant, moresque componant, vt conuersatione, sermone, gestibus, & actionibus cunctis fidelibus exemplo sint, verosque Christi, & Institutorum suorum imitatores se præbeant; Vnde soli per Ciuitatem, & oppida nè vagentur; In plateis, & officinis otiosè non detineantur; à Sæcularium domorum frequentia vltra necessitatem abstineant. Mulieres nullam ob causam intra Monasteriorum septa ingredi patiantur, memores excommunicationis Summo Pontifici reseruatæ, tam contra intrantes, quam introducentes. Peregrinos, ac exteros Sacerdotes apud se Sacrum facere non permittant, nisi facultatem à proprio Episcopo ad hoc obtentam ipsis ostenderint, sub pœna suspensionis à Diuinis.

Caput Secundum.

Vt Decreta Sacri Concilij Tridentini debitæ executioni demandentur; iubemus, quòd in Monasterijs huius nostræ Diœcesis, in quibus commodè poterit, habeatur lectio Sacræ Scripturæ, vel Casuum Conscientiæ ad publicam, & Regularium, & Sæcularium Clericorum commoditatem; & ad hoc Superiores Monasteriorum studiosè inuigilent, alioquin à Nobis, etiam vt Sedis Apostolicæ Delegato ad hoc opportunis remedijs cogentur. Alias autem scholas publicas, etiam in pro-

prijs

prijs Conuentibus nè regant absque nostra expressa licentia.

Caput Tertium.

Indulgentias, etiam eis concessas, nouas Reliquias, vel noua miracula ipsi non publicent, nec Populorum concursum sub miraculorum specie permittant, licentia prius à Nobis non obtenta. Ab exorcizandi officio, nisi præuia nostra licentia, prorsus abstineant, sub pœnis ad nostrum arbitrium. Non audeant in eorum Ecclesijs quacunque ex causa (dummodo non sint Parochiales) Festa, vel ieiunia Populo enunciare: Nec Sacrum Viaticum, nec Vnctionem Extremam Sæcularibus administrare: nec sponsos, aut puerperas benedicere, sed hæc munera Curatis relinquant, vt mandauit Sacra Congregatio Episcopo Burgen. Sancti Donnini 15. Decembris 1603. Sicut etiam nec Defunctorum cadauera leuent ad sepulturam sine Parochi præsentia; & in exequijs faciẽdis omnino obseruentur Decreta Apostolica, & Sac. Congreg. declarationes pluries super hoc editæ.

Caput Quartum.

Censuras, & interdicta a Nobis publicata, ac festa in nostris Synodalibus Constitutionibus indicta ipsi obseruent, & ad processiones generales de iure, vel consuetudine, vel ob aliquam grauem causam à Nobis indictas, accedant omnino, sub pœna in nostris particularibus edictis imponenda, & si qua controuersia inter eos de præcedentia orta fuerit, à Nobis decidenda erit iuxta Constitutionem fęlic. record. Gregorij XIII.

Caput Quintum.

Non accedant ad colloquendum cum Monialibus, nisi sint in primo, & secundo gradu consanguinitatis coniunctæ, & tunc præuia nostra licentia in scriptis, & non vltra quatuor vices in anno, ac seruatis omnibus circumstantijs, & conditionibus in Decreto Sacræ Congregationis edito, sub die prima Decembris 1623. sub pœna excommunicationis, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ. Nec in earum Ecclesijs celebrare præsumant absque nostra, vel Generalis Vicarij facultate, sub pœnis ad nostrum arbitrium. Nec per quodcunque minimum tempus possunt alloqui monialibus sine labe peccati mortalis iuxta Decretum fæl. record. Clementis IX.

Caput Sextum.

In causis Regularium, qui gaudent priuilegio habendi Conseruatores, quando ipsi sunt rei (exceptis tamen causis pertinentibus ad Sãctum Officium) eligant sibi aliquos ex Iudicibus à Nobis in Synodo de-

deputatis, iuxta formam Constitutionis felicis record. Gregorij XV. alias coram Nobis conueniantur ex præscripto dictæ Constitutionis. In Monasterijs autem paruis seruetur ad vnguem Constitutio nouissima felic.record.Innocentij X.Idibus Octobris. Anni 1652.incipientis, *Instaurandæ*, cum eiusdem declarationibus postea emanatis sub Alexandro VII.

TITVLVS XXX.
De Monialibus.

Caput Primum.

Virgines Sacras,vti Regis Regum Sponsas ad Diuini Sponsi omnimodum beneplacitum vitam, & mores instituere, dignum, & æquum est;quod præstare nequibunt; ni colloquia hominum dedignētur; consortia Cælestium Ciuium tantùm ambiant; Choro,& orationi assiduè insteut; vana, & otiosa omninò deuitent; ad Regulæ tandem, quam professæ sunt, plenam obseruantiam toto conatu se componere studeant. Hoc si pro voto perficiant; & Deo gratas fore, & tranquillā, ac futuræ Beatitudinis dulcedines,prælibantem vitam se ducturas,certò credant; alioquin, & conscientiæ synderesi,& vanitatum expetitarū priuatione, incepturas adhuc viuas experiri interiùs pœnas, quas in æternum passuras, iustè timendum est, gemiturasque in perpetuum, & præsens, & futurum sæculum se stultè perdidisse; Dum cum fatuis Virginibus otio torpentes, & ornare lampades oleo bonorum operum cū prudentibus non curantes, clausam Cœlestis conuiuij ianuam inuenire,& à Diuino Sponso nesciri,eis contingere promeruerunt.

Caput Secundum.

Et quia ad Superioris exemplum totus subditorum cætus facilè componitur. Præcipimus, vt in Abbatissam eligatur, quæ Regulæ obseruantia,morum grauitate,& vitæ integritate cæteras antecellat: Sitque non minor quadraginta annis, ex quibus octo ad minus post Professionem, laudabiliter,& sine reprehensione transegerit. Electio verò fiat tertio quoque anno in nostra, vel nostri Generalis Vicarij præsentia per vota secreta, nec vnquam eligentium nomina publicentur, nec vota ipsa vllatenus extorqueantur, sub pœna excommunicationis. Quòd si Moniales inter se discrepantes non consenserint in aliquam, terminus competens ad hoc eis assignetur; & si nihilominus dissenserint; tunc a Nobis, vel Nostro Vicario Generali eligatur, quæ magis idonea iudicabitur, vt decreuit Sacra Congregatio in responso ad Episcopum Cremonen.sub die 12.Octobris 1592.Prorogationem autem

tem

tem Abbatissæ vltra triennium,nec sub titulo Præsidentis concedemus, vt rescripsit Sacra Congregatio Episcopo Adriensi,sub die 20.Februarij 1615.Et licet de iure communi, quæ priùs fuerint Abbatissæ reeligi non possint, nisi transacto alio triennio, absque Sedis Apostolicæ, vel Sacræ Congregationis facultate: In Ordine tamen Sanctæ Claræ (vt sunt Monasteria nostræ Diœcesis) Abbatissæ vacant ad minus per sex annos,iuxta Constitutionem felic.recordationis Pauli V. vt refert Nouarius in Summa Bullar. in Verbo Abbatissa n.13. Abbatissa nullum conficiat instrumentum,vel quietantiam, cùm hoc ad Monasterij Procuratorem pertineat;nec per alium Notarium, quàm per Nos deputãdum, & cum nostra licentia contractui inserenda, sub pœna nullitatis contractus.Neque aliquid locare,permutare, aut vendere,siue aliquod ædificium nouum construere, nec destruere præsumat; nec exigere a Monasterij debitoribus summam aliquam per seipsam, vel per alias Moniales, sub pœna suspensionis ab officio; omnis tamen exactio per manus tantùm fiat Procuratoris, qui de omnibus strictam rationem reddere tenetur. Debitor verò alteri quàm Procuratori soluens, non liberabitur.

Caput Tertium.

Nè Monasteriorum paupertas Sanctimoniales à Diuinis obsequijs ad humana diuertat,certus debet esse ipsarum numerus,;qui commodè ex Monasterij facultatibus ali possit, ex præscripto Sacri Concilij Tridentini, sess. 25. de Reg. cap.3. aliàs receptio sine licentia Sacræ Congregationis, & dote duplicata, nulla est; vt eadem pluries rescripsit. Vnde Nos numerum præfixum à nostro immediato Prædecessore iuxta mandatum ab ipso receptum Sacræ Congregationis Concilij per literas speciales, sub datum Romæ, die 28. Martij 1681. approbantes, & confirmantes;pręcipimus, vt vltra prædictum numerum præfixum, nẽpe triginta Monialium in Monasterio Angloni, & vigintiquinque in Monasterio Roselli,præter Conuersas, nulla alia recipiatur, nisi cum duplici dote,& Sacræ Congregationis licentia.

Caput Quartum.

Puellæ, quæ educationis gratia Monasterium ingredi cupiunt, vltra licentiam Sacræ Congregationis, nostrum impetrent beneplacitũ; Maiores sint septennio,minoresque annis vigintiquinque.Adsit Abbatissæ,Monialiumque (saltem pro maiori parte) consensus.Parentes per semestre anticipatè soluant alimenta: Pro reliquo tempore de soluendis ijs sufficientem præstent cautionem;aliàs ad ipsos puellæ remittantur.Regulas Monasterij,statutaque Sac. Conc. Trid. & Sacræ Congregationis puellæ ipsæ obseruabunt:Et aduertant Moniales,quòd si secũ

tenent in lecto ad dormiẽdum Educandas, incurrunt censuras, sicut & Episcopus, qui id scit, & permittit. Curet omnino Abbatissa, vt Puellæ ipsæ educandæ nedum interiùs, sed etiam exteriùs modestiam illam præseferant, quam loci conditio exigit, nullatenus permittendo, vt vestibus sumptuosis, aut vanis vtantur, sed in quibus honestas, & pudicitiæ candor præfulgeat; neque aurum, aut argentum, vel quid simile ferant, & multò minus capillos componant. Quæ autem non paruerit, Monasterio egredi cogatur, & Abbatissa si alicui hæc permiserit, grauiter punietur. Cùm vigintiquinque annos compleuerint, intimetur eis, vt aut de Monasterio exeant, aut statim habitum Religionis assumant. Si autem Deo inspirante, hunc recipere velint, antequam in Nouitiatum admittantur, in paternam domum reuertantur; ibique per mensem commorentur, vt videantur libero consensu vitam Monasticã elegisse; & tunc nisi per Nos, vel nostrum Generalem Vicarium fuerint examinatæ, & per vota secreta maioris partis Monialium receptæ ad habitum suscipiendum non admittantur; Si verò aliqua ex ipsis Educandis Matrimonium contrahere decreuerit, antequam sponsalia contrahat, & denunciationes fiant, extra Monasterij septa mittatur; nisi Nobis aliter visum fuerit; & interim dum permanserit in Monasterio, ad Crates, vel ad Ianuam Monasterij cum futuro sponso, vel alia persona eius nomine ad Monasterium veniente, nullatenus colloqui audeat, sub pœna excommunicationis ipso facto, & priuationis Veli Abbatissæ permittenti.

Caput Quintum.

Debent autem priùs præberi solita alimenta pro tempore Nouitiatus, seruanda à probato viro per Nos deputando, qui subministret necessaria. Insuper antecedenter prompta debet esse eleemosyna dotalis, non in bonis stabilibus sine licentia Sacræ Congregationis, sed in pecunia numerata, iuxta plurima Sacræ Congregationis decreta, eamq; (cum in hac Diœcesi non adsint publici Banchi) depositandam mandamus, non apud Parentes, aut Consanguineos, sed penes Mercatorem aliquem timoratæ conscientiæ, & opulentum à Nobis probandum, præuijs debitis cautionibus, ad hoc vt statim secuta professione ipsa dotalis eleemosyna conuertatur in emptionem redditunm ad perpetuum Monasterij beneficium, ex rescripto Sacræ Congregationis.

Caput Sextum.

Nouitiæ, quæ completo anno suæ probationis professionem non emiserit, ob suam, vel Parẽtum, aut Consanguineorum culpam, significetur, vt vltra mensem dictam professionem nè protrahat; aliàs elapso mense, & ad summum tribus mensibus, omninò eijciatur; Secus Abba-

tissa,

tissa, & Moniales remaneant interdictæ. Vestes autem, & lectus apud Monasterium remaneant. Non recipiantur autem in eodem Monasterio plures quàm duæ sorores absque Sedis Apostolicæ, vel Sacræ Congregationis dispensatione, & tunc tertia soror duplicatam soluat dotem. Neque duæ sorores secundùm carnem possint sibi inuicem in Abbatissas immediatè succedere. Sciantque omnes ex Sacri Concilij Tridentini sanctione pœnam excommunicationis incurrere eos, qui non solùm mulierum voluntatem Religionem ingrediendi, professionem emittendi, seu Velum recipiendi impediunt, sed etiam eas quomodocunque ad hæc facienda violenter induxerint, aut ad hoc, consilium, auxilium, fauorem, vel authoritatem præstiterint.

Caput Septimum.

Moniales, quæ sub paupertatis, & obedientiæ iugo se viuere promittunt, vt proprietatis vitium prorsus effugiant, communem vitam indifferenter ducant; omnia inter se ipsas communia sint, communisque viuendi ratio, tam in victu, quam in vestitu, nisi infirmitas aliud superiori suadeat. Pecunias quascunque etiam a proprijs Parentibus receptas quantumuis modicæ quantitatis penes se non retineant, sed totũ in communi arca per Abbatissam, aut Depositariam custodiendum seruetur; & in earum necessitatibus de ipsius Abbatissæ manu, id quod egent, recipiant. Bona etiam mobilia, aut stabilia cuiuscumque qualitatis, & quantitatis fuerint, quouis modo, causa, & occasione acquisita retinere, aut possidere tanquam propria, est ipsis omnino prohibitum. Dum verò Moniales victui, & vitæ suæ, aliter, quàm labore manuum consulere non possunt, dummodò de consensu Abbatissæ fiat, debitaque clausura, & honestate seruata, nequaquam eis prohibitum intelligatur. Quidquid autem per Moniales mortis tempore seorsim absque Abbatissæ licentia detentum reperiatur, totum ad Monasterium spectare decernimus: & Consanguinei, vel alij, qui id retinere præsumpserint, sint ipso facto excommunicati; nec absoluantur, nisi facta restitutione. Proprietaria autem, quæ huiusmodi bona in quantitate notabili reliquerit, nisi ante mortem restituerit, in sterquilinio, non autem in loco Sacro cum alijs Monialibus valeat sepeliri. Meminerint munera esse ipsis interdicta ex Constitutione Clementis VIII. Cui, &c. Sæculares, & profanos libros nè habeant, neque legant, Calamum, atramentarium, & alia instrumenta ad scribendum apud se non retineant; sed cùm opus fuerit, necessaria ex Abbatissa accipiant; & cui scribendum erit, significent; & quæ scripserint ipsi Abbatissæ ostendant. Neque literas cuiuscunque recipiant, quin antequam aperiant, & legant, eidem Abbatissæ consignent, sub pœna trium mensium carceris.

Caput Octauum.

Sedulò Moniales monemus, & in Domino hortamur ad Sacramentorum frequentiam, à qua omne bonum; Vnde saltem semel in mense earum peccata confiteantur, & Sacram Communionem reuerenter, & deuotè omnes recipiant. Idque etiam obseruent in Festis solemnioribus. Chorum, communemque mensam cum præuia benedictione, & gratiarum actione omnino frequentent; Silentium exactè obseruent; Sacræ lectioni sint addictæ; necnon, & mentali orationi, quam bis in die per spatium ad minus mediæ horæ, in Choro post Matutinum, & post Completorium ab omnibus simul congregatis fieri præcipimus. Et nè mundanis occupatæ, à spiritualibus animum auertant; prohibemus illis, cibum externis parare absque nostra expressa licentia, vel exculenta vendere, exceptis tamen rebus parui momenti pro infirmis, & Consanguineis dumtaxat, iuxta Decretum Sacræ Congregationis prima Iulij 1616. & contentæ sint taxa à nostro Prædecessore, & à Nobis facta in impendijs de communi pro victu, quam Procurator non excedat, sub pœna soluendi de proprio. Diffidiæ, & diffidiarum causæ inter ipsas penitus tollantur, vt veræ Sorores in Domino, nomine, & factis appareant; & incorrupta vera pax, & concordia inuiolabiliter seruetur. De cœtero obseruent ad vnguem Edicta, seu Ordinationes illas, quas in actu Sanctæ Visitationis vnicuique Monasterio obseruandas dedimus, sub pœnis ibi præfixis, quas hoc Synodali Decreto roboramus, & confirmamus.

Caput Nonum.

Confessarius ordinarius eligatur probatæ vitæ, & morum, nec minor quadraginta annis. Hic autem nullo modo aliquid aliud accipiat à Monialibus, nisi solitum salarium, vel à Nobis taxandum. Neque donari ei aliquid possit, sub grauioribus pœnis ad nostrum arbitrium. Septa Monasterij nullatenus ingredi præsumat, prætextu comitandi operarios, Medicos, Chirurgos, vel alios. Dum verò ingreditur ad Sacramenta ministranda, vestibus Sacerdotalibus indutus, recta, & absq; diuersione eat, redeatque; neque per alias Monasterij partes diuagetur, etiam prætextu visitandi infirmas, quibus Sacramentorum ministratio non est necessaria; ipsumque à Ianua Monasterij semper duæ seniores comitentur, & ad Ianuam ipsam reducant; nec vnquam solum ipsum deserant, vnaque illarum tintinnabuli signo (dum gradiuntur) Moniales moneat, vt se ad propria recipiant, nè videantur. Quod etiã seruandum erit à quocunque Monasterium ingrediente. Dum Sacramentum Pœnitentiæ decumbenti ministrat, eædem seniores ante Ianuã apertam adstent; itaut ab eis, & pœnitens, & Confessor conspici commodè

modè possint. Cognoscens vero infirmam ad confessionale Ecclesiæ accedere posse, non audeat Monasterium ingredi, vt Sacramentum Pœnitentiæ ei ministret. Ingredietur autem absque socio, etiam quando Sacramentum Eucharistiæ, vel Extremæ Vnctionis erit ministraturus. Et in nullo alio casu permittatur Confessario intra Monasterij septa ingressus, sub pœnis in Constitutionibus Apost. inflictis.

Caput Decimum.

Quicunque septa Monasterij ingredi ausus fuerit, excommunicationem Sedi Apostolicæ reseruatam ipso facto incurrisse se noscat, exceptis casibus necessarijs, & cum Superiorum licentia in scriptis obtenta. Licentia autem Medicis, Chirurgis, alijsque operarijs concedi solita, singulis quibusque trimestribus renouetur; aliàs illis non suffragetur, incidantque in pœnas inflictas à felic. record. Gregor. XIII. vt rescripsit Sacra Congregatio Episcopo Camerinen. 28. Martij 1588. Aduertant tamen omnes, qui licentiam habent ingrediendi septa Monasterij, quòd si illa vtantur leuibus de causis, in pœnas dictæ Constitutioni s. Gregorij XIII. incidunt, ac si ingrederentur sine licentia, vt pluties declarauit Sacra Congregatio, & præcipuè in vna Mediolanen. & in alia Bergomen. Diurnus semper sit eorum ingressus, & à duabus senioribus Monialibus associati, recto tramite, alias non loquendo Moniales ad locum designatum pergant, & opere completo, eodem modo reuertantur, & egrediantur, nullatenus per Monialium cellas, & officinas, aut alia loca diuagando, sub eadem excommunicationis pœna. Hora vigesima tertia pulsata, Ianitrices, & Auscultatrices Collocutoria claudant, nec aliquos ad colloquendum admittant, sub pœna priuationis Cratum per tres menses pro qualibet vice; Et hora vigesima quarta obseretur fenestrella Rotæ, & Ianuæ Monasterij occludantur, sub pœna nostro arbitrio reseruata: nec aperiantur mane, nisi orto iam Sole. Claues autem dictæ Ianuæ Monasterij, & etiam Clausuræ à Confessario custodiantur. Pueruli, vel Puellæ cuiusuis ætatis in Monasterij Clausuram à Monialibus, vel alijs minimè introducantur, sub pœna excommunicationis.

Caput Vndecimum.

Claues Custodiæ Sanctissimi Sacramenti nullo pacto Monialibus committantur; sed penes Confessarium, vel Cappellanum per Nos electum, ad quos spectat administratio Eucharistiæ, semper esse debent, vt Sacra Congregatio rescripsit in vna Vallisolet. die 12. Ianuarij 1604. In Confessionalibus Monialium inter Confessarium, & Monialem confitentem interfit strictè perforata lamina. In loco verò, vbi Sanctissimũ Sacramentum suscipiunt, tantus pateat aditus, vt Sacerdos manum

com-

commodè mittere possit; claudatur autem duabus clauibus,introrsum vna,altera extrorsum; Interior de die retineatur penes Sacristanam, de sero consignetur Abbatissæ. Exterior retineatur penes Confessarium, itaut fenestrella non aperiatur, nisi præsentibus Confessario, & Sacristana, sub pœnis grauibus nostro arbitrio infligendis. Nullus cuiuscunque status,& sexus alloqui possit Moniales, neque per Confessionale, neque per fenestrellam Communicatorij, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Confessarius verò, vel Cappellanus id permittens, vel clauem præbens, sit ipso facto suspensus.

Caput Duodecimum.

Nemini sine nostra expressa licentia in scriptis concessa, cuiusuis status, gradus, sexus, aut conditionis existat, siue Laico, siue Clerico liceat sub quouis prætextu Collocutoria Monialium ingredi, nec cum illis, aut alijs in Monasterijs existentibus alloqui, sub pœna excommunicationis ipso facto Nobis reseruatæ. Quod si aliqua deceptione, & dolo licentiam obtinuerint, in eandem incurrant excommunicationem, ac si absque licentia loquuti fuissent; similiter qui habentes licentiam alloqui vnam, aliam alloqui ausi fuerint. Licentiæ autem datæ, vel dandæ intelligantur extra tempus Quadragesimæ, & Aduentus; necnon Ferias sextas, ac dies, in quibus Moniales Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum communiter receperint; tuncque etiam si aliquæ ipsarum non fuerint communicatæ, non poterunt Crates adire, sub eadem pœna excommunicationis; sed tãtùm Præfectæ Rotæ, ac Ianitrices pro rebus ad Monasterium necessarijs, cum alijs negotiari.

Caput Decimum Tertium.

Nullus audeat Moniales alloqui à Rota, nisi tantùm eas vocare, locutio enim fiat tantùm à Crate, sub pœna excommunicationis ipso facto. Rotarum verò tabulæ interiùs, vel exteriùs muniantur ex stanno, vel ferro intra duos menses, itaut nulla sit fixuræ suspicio, per quam inspici possint Moniales, nec personæ à foris existentes. Nemini prorsus cuiuscunque conditionis, status, ac sexus aperiatur Ianua Clausuræ ad colloquendum, neque ad introducenda ea, quæ per Rotas introduci possunt; Et multò minus cibos sumere permittatur, sicuti nec in Ecclesia, nec in Locutorijs, sub pœna Abbatissæ suspensionis ab eius officio per annum, & Ianitricibus (si fiat in Ianua) trium mensium carceris. Quòd si Confessarius permiserit, pœnam suspensionis subeat. Sub eadem pœna ipso facto incurrenda præcipimus, vt nullus Sacerdos, siue Sæcularis, siue Regularis in Monialium Ecclesijs Missas celebrare audeat absque nostra, vel nostri Generalis Vicarij licentia, vel saltem Confessarij earum in nostra absentia, & tunc exacto ministerio, statim

disce-

discedat, nec se ad Sanctimonialium collocutiones hac occasione diuertat; sicut illi, qui ad Missas, vel Diuinas preces illuc audiendas conuenerint.

Caput Decimum Quartum.

In Administratores, seu Procuratores Monasterij eligantur personæ prouectæ ætatis, probatæ vitæ, ac omnino idoneæ, quæ huiusmodi munus omni, qua decet fidelitate, diligentia, & charitate exerceant. In libro ad hoc specialiter confecto distinctè adnotent de die in diem partitas omnes introitus, & exitus, seu dati, & accepti cum omnibus circumstantijs; & in fine cuiuslibet mensis, rationes reddant ad Collocutorij Crates coram Confessario, Abbatissa, Vicaria, & Discretis, iuxta ordinem, & methodum datam in Sancta Visitatione, & in fine anni strictiùs, & exactiùs computa ipsa Nobis, vel personis à Nobis deputatis referre teneantur. Quia verò Moniales nostræ Diœcesis, quæ non paucis potiuntur redditibus, à debitoribus, multiplicata culpa, solutiones ad plures annos ipsos differendo, taliter fraudantur, vt summa laborantes penuria, nec quantum sufficit ad communem vitam, saltem quoad victum in communi mensa quotidie monasticè habendam, recipere possunt: Propterea volentes ipsis esse notum, quantum in hoc indignationem Dei contra se prouocent, & eos omnes terrefacere, qui Moniales ipsas à Diuino seruitio, cui totaliter mancipatæ esse debent, quocunque modo amoueant, terribile anathema ex Pontificali Romano hic insonari, consultò duximus: Videlicet.

Authoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorũ eius firmiter, & sub interminatione Anathematis inhibemus: nè quis præsentes Virgines, seu Sanctimoniales à Diuino seruitio, cui sub vexillo castitatis subiectæ sunt abducat; nullus earum bona surripiat, sed, & cum quiete possideãt. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, maledictus sit in domo & extra domum; maledictus in Ciuitate, & in agro; maledictus vigilando, & dormiendo; maledictus manducando, & bibendo; maledictus sit caro eius, & ossa; & à planta pedis vsque ad verticem capitis non habeat sanitatem. Veniat super illum maledictio omnis, quam per Moysen in Lege, filijs iniquitatis Dominus permisit. Deleatur nomen eius de libro viuentium, & cum iustis non scribatur. Fiat pars, & hæreditas eius cum Cain fratricida cum Datan, & Abiron, cum Anania & Zeffira, cum Simone Mago, & Iuda traditore, & cum eis, qui dixerunt: Recede à Nobis, Semitam viarum suarum nolumus. Pereat in die Iudicij. Deuoret eum ignis perpetuus cum Diabolo, & Angelis eius, nisi restituerit, & ad emendationem venerit, fiat, fiat.

Attentè itaque hoc recogitent, & reflectant omnes vsurpatores, debitores, vel quomodocunque detentores bonorum Monialium, etiam ob malam eorum administrationem, vel illas quocunque modo à Di-

aino seruitio diuertunt, & vt Diuinam indignatiouem effugere mereantur, suas partes omni fidelitate, & promptitudine adimpleant.

TITVLVS XXXI.
De Confraternitatibus Laicorum.

Caput Primum.

QVoniam ex Laicorum Sodalitatibus, seu Confratrijs, aut Congregationibus ritè, & rectè institutis, in quibus plura charitatis, & pietatis opera exercentur, non parum in Ecclesia Dei decoris, & vtilitatis etiam accedit: Cùmque nullus sit nostræ Diœcesis locus, qui plures Confraternitates, vel aliquam saltem Sanctissimi Sacramenti non habeat (vno, vel altero excepto, in quo iuxta Decretum Sanctæ Visitationis canonicè erigi mandamus) Confraternitatis autem titulum tantùm retineat sine re; aliæ enim nullum agnoscunt Sodalem, seu Cõfratrem, nisi ad Priorem, seu Procuratorem tumultuariè eligendum; aliæ etiam vexillo, cappis, seu saccis pro processionibus, alijsque necessarijs carent; aliæ tandem, & quasi omnes sine vlla Regula, Statuto, seu Ordinationibus in eorum fundatione præscriptis viuunt: Ideo, vt omnia ad proprium statum reducantur, abusus tollantur, Diuinus cultus cum animarum profectu in eis augeatur, infrascripta decreta omnino seruanda ex muneris nostri debito edidimus.

Caput Secundum.

Primò itaque notum esse volumus, Institutiones Confraternitatum, seu Congregationum Laicorum nullius esse roboris, si Ordinariorum Decretis, moderationi, & correctioni, aut Visitationi non subiaceant (nisi iuxta Sacr. Trid. Concil. sub immediata Regis protectione sint, quæ quidem implorari debet in limine fundationis, aliàs minimè suffragatur,) vt in Constitutione Clementis VIII sancitum est: In qua etiam Summus Pontifex mandat, vt eleemosynæ, & alia oblata Christianæ pietatis subsidia in reparationem, & ornatum Ecclesiarum arbitrio Ordinariorum applicentur; vt videre est in transumpto ipsiusmet Bullæ in Appendice apponendo; Ex his igitur sciant Administratores bonorum Confraternitatum, seu Congregationum, quòd iuxta Apostolum: *In promptu habeo vlcisci omnem inobedientiam eorum*: Omnia enim loca pia, omnesque Congregationes, & Confraternitates huius nostræ Diœcesis in eorum bonis, tanquam verè Ecclesiasticis, absque vlla minima controuersia, aut dubio, Antecessorum nostrorum Episcoporum Visitationi, correctioni, computorum redditioni, moderationi, Decretis, & omnibus, quantum patet memoria hominum, subiecerunt.

Caput

Caput Tertium.

Meminerint itaque supradicti Administratores, quòd Patrimonium Iesu Christi administrant: *Non licet eis mittere in corbonam; neq; abscondere pecuniam Domini sui*; nec in rebus inutilibus eam impendere: Vnde inhærendo Constitutionibus nostrorum Antecessorum ipsis mandamus, vt huiusmodi bona Confraternitatum non absumant in conuiuijs, in fragoribus bellicis, aut alijs rebus ludicris in Vigilijs, & Festis Sanctorum Titularium Ecclesiæ, vel Altaris, quibus sunt addicta; nec vllam aliam expensam, neque titulo eleemosynæ faciant (exceptis ijs, quæ ad vsum in dies requiruntur, vulgò (*Forzose*) absque nostra, vel nostri Vicarij licentia in scriptis, gratis, & iusta de causa danda, & ab ipsis tempore Sanctæ Visitationis, & computorum redditionis exhibēda, sub pœna dupli soluendi de proprio, & in subsidium excommunicationis. Quæ quidem computa à Nobis requisiti, omnino reddere teneantur, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrēda. In venditionibus autem, locationibus, contractibus, exactionibus, & omnibus alijs, quæ ad rectam administrationem, & conseruationem bonorum Ecclesiasticorum spectant, ea omnia inuiolabiliter obseruēt, quæ in Titulo 13. de Bonorum Ecclesiasticorum administratione sancita sunt.

Caput Quartum.

Quælibet Confraternitas, seu Congregatio sua habeat propria insignia, propriam Crucem processionalem cum Imagine Crucifixi, proprium vexillum, cappas, seu saccos ad minus triginta, quibus induti Confratres, Processionibus publicis, ac solemnibus deuotè interesse teneātur. Quòd si aliqui interuenire per tres vices renuerint, Fraternitatis honore omnino priuētur, cùm oneri non intendāt subesse; Priores autē, seu Procuratores super hoc inuigilent, & curent, vt omnia supradicta, & alia necessaria pro Diuino cultu, associatione Sanctissimi Sacramēti, ornatu Ecclesiæ, & Altaris Confraternitatis, expensis eiusdem, infra sex menses fiant, atque onera, quæ, vel ex ipsa fundatione, vel ex pia fidelium dispositione habet Confraternitas omni, qua decet, diligentia adimpleantur, sub pœna nostro arbitrio reseruata.

Caput Quintum.

In vnaquaque Confraternitate, seu Congregatione sit certus numerus Confratrum, qui in libro ad hoc specialiter deputato omnino sint descripti, & Regulas, seu Ordinationes, quàs vulgari sermone in Appēdice apponemus, diligenter obseruent, vt Confraternitates subsistentiā habeant. Et vt magis in via Domini proficere possint, vnicuique Confraternitati sit designatus Sacerdos vitæ probitate, & prudentia præ-

 cipuus,

cipuus, qui tanquam Præfectus, seu Pater spiritualis ex officio Confratres dirigat; ad Ecclesiam, seu Oratoria diebus præscriptis conuenire faciat; Sacramenta Confessionis, & Communionis frequentare; Exercitia spiritualia, & Diuinas laudes persoluere; & alia opera pietatis, & charitatis præscripta adimplere. Ipsi etiam ex officio incumbat, eos Confraternitati non adscribere, qui Doctrinam Christianam ignorant, qui sunt homines facinorosi, turpis vitæ, publici peccatores, nisi correcti emendationis signa dederint; & si tales euadant, postquam adscripti fuerint, omnino à Confraternitate, seu Congregatione excludantur. Quantùm verò ad electionem Prioris, seù Procuratoris Confraternitatis, obseruentur quæ supra sancita sunt Tit.13. Cap.4. Et præsertim, quòd à Confratribus tantùm, & non ab alijs in Priorem eligatur, qui saltem per duos annos sit Confraternitati adscriptus, & conditiones habeat supra recensitas, sub pœna nullitatis electionis, &c. Qui autem potestate Laicali electionem coarctauerint, sint ipso facto excómunicati. Pro Montibus etiam Pietatis, & Frumentarijs, ac Hospidalibus Regulas in Appendice dabimus, quas hac Synodali Constitutione obseruari mandamus.

TITVLVS XXXII.

De Concubinarijs, alijsque Criminosis.

Caput Primum.

CONcubinatus fœdissimum scelus, Deo, hominibusque exosum proculdubio est. Meritò igitur Sacra Tridentina Synodus grauissimas pœnas contra illud perpetrantes statuit: Cuius Decretis inhærentes, Clericis, ac Laicis quibuscunque prohibemus, Concubinas in proprijs domibus retinere, vel extra eas proprijs alere sumptibus, illarumque consuetudinem habere; sed ab earum prauo vsu omnino abstinere, & extra domos expellere, illarumque inhonestum comercium dimittere, sub excommunicationis pœna mandamus. Neque ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Paschate à Parochis admittantur, quamuis scripto testimonio doceant absolutionis beneficium, nisi effectiuè prauam consuetudinem deseruisse constiterit. Quòd si in Concubinatu per annum, neglectis censuris perstiterint, contra eos procedetur seuerissimè, tanquam de hæresi suspectos. Concubinæ verò vltra supradictas pœnas à Ciuitate, vel Oppidis nostræ Diœcesis omninò eijciantur, etiam implorato brachio Sæculari: Pœnis à Sacris Canonibus contra Concubinarios inflictis in suo robore permanentibus. Adijcimus autem contra Clericos pœnas pecuniarias, & carceris ad nostrum arbitrium persoluendas; tum si Concubinatus, tum si cuiusuis carnis, vel

con-

consuetudinis cum quauis muliere incontinentiæ suspecta, Rei dignoscentur: Sed eò seueriùs in flagitiosos illos Diaboli satellites, quos lenones appellant, animaduertendum est, quò atrociùs delinquunt; Dum inter alia grauissima scelera, mulieres, alioquin honestas, per fraudem seducunt: Idcirco quicunque in hoc scelere deprehensi fuerint, siue viri, siue fæminæ, iuxta Canonicas Sanctiones, alijsque grauioribus pœnis pro nostro arbitratu afficientur, & fustibus cæsi, è Diœcesis nostræ finibus omnino exterminabuntur.

Caput Secundum.

Aliud non minus execrabile vsuræ scelus, quod in pauperum perniciem, & desolationem à perditis hominibus exercetur, ex nostri Pastoralis officij debito à nostra Diœcesi (si quod est) exterminare volentes; Præcipimus omnibus nostræ Iurisdictioni subiectis expresse, vt nihil ex mutuo, præter sortem principalem recipiant, nec principaliter sperent, etiam si pecuniæ ipsæ sint pupillorum, viduarum, aut locorum piorum, nisi in casibus à iure permissis, iuxta illud Euangelium: *Mutuū date, nihil inde sperantes.* Conuentiones, & contractus omnes bona fide, spontaneo consensu, & inuiolata Sacramenti Religione formati, absque dolo, vi, metu, omni remota fraude, deceptione, collusione, aut simulatione celebrentur. Census, cambia, & societates secundùm Iurium dispositionem, & Apostolicum præscriptum respectiuè fundentur, & ineātur. Nullus ob dilatam solutionem rem aliquam vltra iustum pretium vendat, vel ob anticipatam solutionem minoris emat, soluatque minus, quàm aliàs deberet. Quicunque itaque vsuras commiserint, sciant se in pœnam tanti sceleris, nec viuos ad Ecclesiastica Sacramenta, nec mortuos ad Ecclesiasticam sepulturam esse admittendos, nisi priùs reali, & actuali deposito pro vsurarum debito satisfecerint, aut pignoribus, vel fideiussoribus de restituendo cautionem præstiterint. Notarij verò, qui de contractibus manifestè, vel palliatè vsurarijs instrumenta confecerint, vltra indignationem Omnipotentis Dei, pœnas per Sacros Canones inflictas, aliasque grauissimas arbitrio nostro persoluent.

Caput Tertium.

Actuariorum, siue Notariorum corrupta conscientia persæpe illos inducit ad testium ab ipsis examinatorum dicta non integrè describenda, sed tantùm ex parte, quæ in Fisci fauorem facit; Cùmque ex huiusmodi malitiosa mutilatione, infinita propemodum damna in pauperes defluant, quorum Pater, & defensor à Deo constituti sumus; Duximus idcirco admonendos sæpè à Rectoribus inter Missarum solemnia, nè sub pœna excommunicationis Nobis reseruatæ, audeant dicta testium mutilare, postquam iurauerunt, & examen cæptum est excipi;

 licèt

licet contra Fiscum, & in fauorem inquisiti testimonium perhibeant.

Caput Quartum.

Denique confirmantes Constitutiones Prædecessorum nostrorum: statuimus, vt omnes, & singuli cuiuscunque gradus, & conditionis sint, qui coram Iudice, seu Tribunali, tam Ecclesiastico, quàm Sæculari falsum deponere, & asserere præsumpserint in præiudicium famæ, honoris, & bonorum proximi, vel testes ad hoc induxerint, consiliumque, auxilium, & fauorem dederint, seu scripturas falsas composuerint, sint ipso facto excommunicati, reseruata Nobis absolutione. Item qui audent literas alijs subripere, aut occcupare, aut aperire, & legere in præiudicium, & secretorum propalationem, negotiorumque moras, ac frustrationes, vnde non parua oriuntur scandala: Nec non & hoc mandãtes, & suadentes excommunicationem pariter incurrant. Quòd si literæ sint à Nobis, vel nostro Vicario Generali, cœterisue nostræ Curiæ Officialibus scriptæ, vel ad eosdem directæ, in tali casu absolutionem huius excommunicationis Nobis reseruamus.

TITVLVS XXXIII.
De Parochorum Officio.

Caput Primum.

QVandoquidem Parochi sunt proximi, & immediati Animarum Pastores sub Episcopo, à quorum cura, & regimine magna ex parte illarum salus dependet; ac propterea veluti oculi, & manus Episcopi dicuntur, per quos ille necessitates Ouium suarum perspectas habet, & suæ Pastoralis prouidentiæ officia exequitur: Ideo ad illos solicitudo nostra conuertitur; eosque muneris sui seriò admonendos suscipimus; quia si ipsi beneualebunt, & diligenter officij sui partes impleuerint, nostra etiam studia, & labores, quos pro earundem animarũ salute impendimus, Deo adiuuante, inanes, & vacui non redibunt. Multa itaque de Officio, & obligationibus Parochorum sparsim in tota hac Synodo tradita sunt, quæ ad vnguem obseruari volumus; hortamurque eos, & obsecramus per viscera Misericordiæ Dei nostri, vt super curam Animarum tota animi applicatione inuigilent, scientes se de omnibus, & singulis districtam reddituros rationem ante Diuinum æterni Iudicis Tribunal: Quòd si quæ perierint eorum incuria, sanguis illarum, imò, & pretiosus Iesu Christi Sanguis, quo redemptæ sunt, requiretur de manu ipsorum Parochorum. Curent itaque in suis Parochijs diu, noctuque habitare, quò præstò sint Parochianorum casibus occurrere, atque infirmos inuisere, & pauperes, aliasque miserabiles per-

personas verbo, & opere in Domino adiuuari valeant; Studeantque odia, rixasque componere, ac perniciosa vitia cuiusuis penitus explãtare. Quòd si aliquando, aut vires, aut animus eis deficit; de omnibus Nos certiores reddant, vt de oppurtunis remedijs prouidere possimus. Et super omnia muneris sui meminerint pro commissi sibi Populi salute Deo preces effundere, & placabiles Hostias offerre, iuxta illud Spiritus Sancti dictatum: *Immola pro peccato tuo, offer holocaustum, & deprecare pro te, & pro Populo.*

Caput Secundum.

Et quia maximo indigent auxilio animæ ab hoc Sæculo discessuræ, decertantes in vltimo agone cum acerrimo infirmorum hoste: Ideo monemus in Domino Curatos omnes, vt absque sua, vel alterius Sacerdotis assistentia, ac ope, nè per momentum eos deserant: Est enim momentum, à quo pendet Æternitas, siue Beatitudinis, siue pœnarum; non cessantes eos hortari ad patientiam, ad intimum dolorem de peccatis commissis, ad fiduciam in Diuina Misericordia reponendam, & ad Cœlestis Patriæ desiderium concipiendum; moderatè tamen, nè eorum capita crebra, & elata voce nimiùm fatigentur. In extremo verò vitæ puncto, signum Campanæ dari mandent, vt omnes pro agonizante orent. Omnibusque pium hoc opus orandi explentibus quadraginta dierum Indulgentiam in Domino impertimur. Poterunt autem in tali casu deuotè recitari tres Pater noster, & totidem Aue Maria, in memoriam illarum trium horarum, in quibus Christus Dominus Redemptor noster in Cruce agonizans atrociter pœnando permansit. Idem signum dari volumus pro parturientibus, vt pro ipsis deuotè orent cum eadẽ Indulgentia, cùm etiam ipsæ graui mortis periculo præmantur.

Caput Tertium.

Diebus Dominicis Fidei rudimenta edocere, monitaque salutis ex Euangelijs, & Sacris Scripturis Populo dare nè negligant, vt alibi iniunximus. Caueantque, nè eorum incuria cum animarum detrimento, illud, quod Propheta indixit eueniat: *Mittam famem in Terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi Verbum Dei*: Et aliud Ezechiel: *Pascebant Pastores semetipsos, & greges meos non pascebant.* Non quærant igitur quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, idest animas ipsas Iesu Christi sanguine redemptas. Eisdem Dominicis diebus ante Maiorem Missam de more faciant aspersionem aquæ benedictæ: Festa, & Vigilias, quo die, quouè modo obseruanda denuncient. In quo aduertendum censemus, quòd occurrente Festiuitate alicuius Sancti de præcepto, etiam si Officium Sancti trasferatur in alium diem, non tamen transfertur Festum, sed debet eodem die, quo cadit obseruari. Item si Vigilia

San-

Sancti Ioannis Baptistæ occurrerit in die Corporis Christi, ob maximam huius diei solemnitatem in eo non ieiunatur, sed pridie eiusdem festi; scilicet feria quarta, vt à Leone X. statutum est. *Nauar. in Manual. c. 21. n. 15.*

Caput Quartum.

Habeant Parochi Concilium Tridentinum, Cathechismum, & Rituale Romanum, nec non Posseuinum de officio Curati; hanc quoque nostram Synodum, nonnullasque Summas perutiles, ac illis necessarias; quos libros sæpe sæpiùs perlegant; aliàs graui pœna à Nobis mulctabuntur. Nullus autem ex eis mercenariorum more, suas audeat relinquere Oues, etiam ad breue tempus; Pro repentina tamen necessitate quatuor dies indulgemus, & tunc (sicut etiam quando fines nostræ Diœcesis transilire contingerit per longius tempus cum nostra licentia inscriptis) Sacerdos à Nobis approbatus substituatur ad Sacramenta ministranda, sub pœna pæcuniaria nostro arbitrio, & in subsidium suspensionis. Et Sacerdos substitutus, si sit ex participantibus Ecclesiæ teneatur sub eisdem pœnis onus subire cum aliquali emolumento à Nobis arbitrando, si Parochi absentia vltra quindecim dies protrahatur. Caueant autem Parochi Candelas benedictas in die Purificationis ad Ædes Sæcularium trausmittere, sed iuxta laudabilem, & obseruatam ab Ecclesia Vniuersali consuetudinem, in Templo Populus eas recipere teneatur ex Decreto Sacræ Congregationis Episcopo Fulginatensi. Taxam Innocentianam in ijs, quæ eos tangunt omninò obseruent. Pro denunciationibus ad Ordines, & ad Matrimonia nihil exigant: Sicut nec etiam pro attestationibus de seruitio Ecclesiæ præstito, de habitus, & tonsuræ Clericalis gestatione, de frequenti Sacramentorum perceptione, de Testium examine pro Ordinandis, & pro statu libero, quando sibi committitur. Prò qualibet tamen alia fide, quando erunt requisiti, carolenos duos non excedant, sub pœna dupli restituendi, & alia ad nostrum arbitrium.

Caput Quintum.

Tandem ità seipsos Parochi componere studeant, vt Populos sibi creditos, vita, moribus, exemplo, ac doctrina instruant. Suam apud omnes existimationem grauiter retineant; Per Domos, & Plateas importunè nè vagentur. Nullius negotia gerant, neque quid vile exerceant. Mulieres Musicam non doceant, nec comitentur, vt qui ex aduerso est, de illis malum dicere vereatur. Sciant præscripta in Capitibus de Vita, & Honestate Clericorum ad ipsos potissimùm pertinere, qui sunt Capita Ecclesiarum. Quapropter pro exactori talium, & tantorum munerum obseruantia, & reuerentiæ eis debitæ argumento,

& con-

& conseruatione;eos ab exactione communium cum alijs Presbyteris redditUum, & omni alio simili onere eximimus; Et si quid reuerentiæ eis debitæ detrimentum admissum fuerit, Laici excommunicationis, Clerici suspensionis, & alijs arbitrarijs pœnis subijcientur. Has denique Synodales Constitutiones familiares habeant, & earum executioni totis viribus incumbant; de quibus,vt nemo ignorantiæ possit causam allegare, illas vulgari idiomate Populis explanent, diuisis per annum Capitulis, vt boni Pastoris partes exercentes, possint tandem immarcescibilem æternæ gloriæ Coronam percipere, illis præsertim promissam; *Qui fecerint, & docuerint*. Statum animarum, non in cartulis, sed in quarto libro Parochiali iuxta Rituale Romanum, & Instructiones in Appendice dandas omnino conficiant, & describant, sub pœna aureorum quinque.

TITVLVS XXXIV.

De Vicarijs Foraneis, & alijs pro Seruitio Episcopalis Curiæ.

Caput Primum.

Diœcesis nostræ dilatata Iurisdictio in multis, sed paruis oppidis, in causa fuit ab immemorabili, vt in adiutorium Pastoralis Curiæ assumerentur quatuor Vicarij foranei in oppidis Maioribus residentes, qui distributas sibi Diœcesis Regiones, sæpius inuiserent, inspicerent, fuuarent, atque ad Nos inde deferrent, si quid fuerit, quod ipsorum fideli, ac diligenti opera emendari non possit. Nos itaque Vicarios foraneos ad nostrum beneplacitum eligemus, & deputabimus; viros vtique vitæ integritate,zelo,& prudentia præstantes. Quorum officium erit inquirere de moribus Populorum, de residentia, conuersationeque Rectorum, vel aliorum Ecclesiasticorum; an præsertim curam animarum fideliter exerceant; de obseruatione festorum, ac ieiuniorum; an doceatur Doctrina Christiana; Num decreta Synodalia obseruentur, sicut, & quæ in actu Sanctæ Visitationis decernuntur; timeantur ne Censuræ,atque excommunicati vitentur? Ac de abusibus, & corruptelis Nos certiores reddere, præsertim num reperiantur Concubinarij,Vsurarij, Blasphemi, Adulteri, Lenones, morum corruptores; Coniuges separatim viuentes sine Decreto Curiæ, Rerum Ecclesiasticarum occupatores; Sponsi per verba de futuro cohabitantes, & cætera, vt in instructione pro Synodalibus in Appendice apponenda continentur: De delictis verò informationes capere, & ad Nostram Curiam transmittere, causasque ciuiles à ducatis tribus infra cognoscere, & prout iuris est terminare; Et super omnia stu-

studeant, vt deprauati mores emendentur, & aberrantes in viam salutis reducantur; Ideò cuilibet ipsorum præcipimus, vt officium suum tota diligentia, vigilantia, ac fidelitate peragat. Qui verò in ijs præstandis negligens fuerit, vel delicta tegere tentauerit, & informationes capere, & ad Nos statim transmittere neglexerit, vltra priuationem officij, ea pœna mulctabitur, qua iustè puniri deberet. In eorum igitur memoriam sibi reducentes illud Spiritus Sancti dictatum: *Noli quærere esse Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*: Debent omnino, aut officium suum quocunque humano respectu postposito exactè adimplere, aut illud deponere.

Caput Secundum.

Quia sæpe euenire solet, vt Vicarij foranei in exequendis mandatis Nostræ Curiæ commoditate careant, nèc possint ex Hospitalariorum, & Clericorum inobedientia, & incuria, aut literas transmittere, aut citationes, & alios nostræ Curiæ actus exequi; vt ordo in omnibus detur, infrascripta sancimus. Vicarius foraneus, vltra Hospitalarios, omnes Clericos notet, & quando opus erit, processus, aut literas ad nostram Curiam transmittere, aut aliquid aliud peragere incipiat à primo vsque ad nouissimum, nemine excepto, cuiussuis generis, & conditionis sit. Quòd si quis deficiente Hospitalario renuerit, vel causam allegauerit non eundi, aut alium substituat, aut Tabellarium suis expensis transmittat. Sic pariter, quando deportandus erit aliquis carceratus, Vicarius foraneus tot assignet, quot necessarios iudicabit. Et quando Vicarius Generalis, vel alius Curiæ Minister aliquos Clericos petet, illos de prædicto numero, & ordine destinabit. Caueatque nè alij semper, & alij nunquam inseruiant. Qui autem in ijs, quæ à Vicario foraneo demandabuntur parere recusabunt, pœna carceris per quindecim dies infallibiliter punientur. In absentia autem Vicarij foranei, idem proportionaliter exequentur Archipresbiteri, cùm Hospitalarijs, vel Clericis opus habebunt pro seruitio nostræ Curiæ.

Caput Tertium.

Quia verò in nonnullis huius nostræ Diœcesis partibus à locorum Dominis temporalibus, & Gubernatoribus prohibetur, nè Laici à nostris Vicarijs foraneis, aut alijs Delegatis citati compareant, aut examinentur sine eorum licentia, quam persæpe etiam negant, vel alio modo impediunt. Volentes huiusmodi abusum, Ecclesiasticam libertatem, & Iurisdictionem maximè lædentem, à quo plura absurda proueniunt eradicare; decernimus, & declaramus; Excommunicationem in Iure expressam Summo Pontifici reseruatam ipso facto incurrere præfatos Dominos, & Gubernatores, aliosque Ministros Curiæ

Sæ

Secularis, qui sub quocumque prætextu, aut quæsito colore prohibent, vel implicitè, vel explicitè, nè Laici in foro nostro Ecclesiastico testimonium veritatis perhibeant, aut citati non compareant absque eorum licentia; quæ quidem nec peti, nec concedi debet, sed cum omni libertate in tali foro debent Laici citati comparere, & à Ministris Episcopalis Curiæ examinari. Cuius Decreti executioni fortiter incumbant Vicarij foranei, nosque in casu contrario certiores reddant. Conficiant insuper ipsi Vicarij librum, in quo causas omnes, siue ab Episcopali Curia sibi delegatas, siue quas ipsi authoritate ordinaria pertractant, pœnas, quas exigunt, quærelas, aut informationes, quas capiunt, & omnia, quæ ratione officij peragunt, diligenter describant, Nobis in Sancta Visitatione de omnibus rationem reddituri.

TITVLVS XXXV.

De Sententia Excommunicationis, & Excommunicatis vitandis.

Caput Primum.

CVm Sacris Canonibus sit prohibitum cum excommunicatis communicare, aliaquè facere, quæ illo versu continentur: *Os, orare, vale, &c.* fortasse sic se exosos videntes, faciliùs resipiscant; Et cognoscentes, quòd in hac nostra Diœcesi neruus hic Ecclesiasticæ disciplinæ contemnatur potiùs, quàm formidetur: Mandamus Rectoribus, ac Vicarijs foraneis, vt quandocunque compererint aliquas personas (præsertim Ecclesiasticas) extra casus à iure permissos cum publicè Excommunicatis denunciatis, vel notorijs Clericorum percussoribus communicare, illos nostro nomine moneant, ac deterreant, vt à tali communicatione, fauore, auxilio, & similibus abstineant; Quòd si huiusmodi monitionibus non paruerint, statim ad Nos deferant, vt iuxta terminos. *Cap. Statuimus de sententia excommunicationis in 6.* ad remedia opportuna deuenire possimus, declarando, tales maiori Excommunicatione irretitos.

Caput Secundum.

Subterfugia, & temeritas nonnullorum post excessus in iurisdictionem Ecclesiasticorum, & Immunitatem Clericorum, vel alios à se commissos, ob quos excommunicationis sententia coercendi sunt, ad necessarium excogitandum remedium Nos cogunt. Cùm enim post patratum scelus delitescant, vel minentur, & nostros Cursores persequantur; statuimus iuxta laudabilem consuetudinem Curiæ Archie-

piscopalis Neapolitanæ, quòd qui citari nequeunt personaliter, sufficiat bis Domi illos citari; & si nec ad Domum, nec ad locum detur tutus accessus, citentur per publica Edicta in Ianuis nostræ Cathedralis, vel alijs Ecclesiarum Matricium locorum circumstantium, ad effectum, vt excommunicari, vel declarari excommunicati validè possint: itaùt talis citatio per Edicta vim habeat citationis personalis.

Caput Tertium.

Vt qui à gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ per Excommunicationem segregati existunt, saltem humanis stimulis ad eam citiùs redire excitentur, cæterique nullum cum eis comercium habere audeant: Innouantes Decreta Synodalia Prædecessorum nostrorum; mandamus Rectoribus Ecclesiarum, quòd quolibet mense alternis Dominicis, & in alijs solemnioribus festiuitatibus inter Missarum solemnia tales Populo denuncient, vt euitare eos possint; nec cessent publicare, donec à Nobis, vel à nostro Generali Vicario aliud eis fuerit iniunctum, sub pœna decem librarum Ceræ albæ pro qualibet vice. Nullusque Sacerdos coram eis Missam celebrare præsumat, nisi de absolutione doctus fuerit. Et vt in notitiam omnium Sacerdotum publicè Excommunicati vitandi deueniant, eorum nomina descripta affigantur in qualibet Sacristia, etiam Regularium, alioquin eorum Ecclesias Ecclesiastico subijciemus Interdicto. Notam eorundem Excommunicatorum tribuant Parochi etiam locorum Gubernatoribus, qui facti remedijs eos à liberè practicando coerceant, nè pecus morbida totum corrumpat Ouile. Quòd si secus Gubernatores consultò fecerint, in excommunicationem maiorem se nouerint incursisse.

TITVLVS XXXVI.

De Capitulo nostræ Cathedralis, & Archiuio Curiæ, ac aliorum.

Caput Primum.

INcongruum planè videbatur, ac rationi difforme, quòd Capitulum huius nostræ Cathedralis, quoad omnia emolumenta, vocesque, tum actiuas, tum passiuas, ex alijs, quàm Dignitatibus, & Canonicis æquè componeretur; Hinc magna confusio, & nulla penè graduum distinctio; Hinc Dignitatum, & Canonicorum minor quam par sit existimatio; Hinc summa omnium Capitularium compatienda pauperies, maximè cùm contra Decreta Sacri Concilij Tridentini, & Sacræ Congregationis, nullus admittendus esset præfixus numerus, nec

modus, sed sine selectu pro eligentiũ affectu indiscriminatim admitterentur plures, quàm tenues Ecclesiæ redditus decenter valerent sustentare; Ideoque omnes egerent necesse erat, vsque ad indecentiam status. Merito igitur Prædecessor noster Illustriss. Dominus Vincentius Lanfranchi inusitatum hunc abusum aboleuit, & ad meliorem, ac decentiorem formam Capitulum nostrum instituit, & in sua Synodo constituit: proùt & Nos constituimus: itaùt numerus aliorum aggregatorum ad Ecclesiam, nec maior, nec minor sit numero Dignitatum, & Canonicorum simul, vt neque Ecclesiasticæ functiones necessarijs Ministris careant, neque multiplicitas excedat vires redditiuum; Ac proinde cùm Dignitates sint quinque, & Canonici sex; hinc Presbyteri participantes non sint plures quàm vndecim.

Caput Secundum.

Nullus autem aggregari, seu eligi possit ad vocis actiuæ suffragium, neque ad integram emolumentorum quorumcunque participationem, sed solummodo ad medietatem eorumdem; neque supra numerum aliquis eligi poterit, etiam si seruitium se gratis præstiturum promittat, vsque dum alius ex numero deficiat. Ille verò censeatur electus, in quem, præuio nostro consensu, maior pars eligentium per secreta suffragia consenserit; dummodo præter cæteras conditiones, cantum planum calleat; censeanturque tales obligati ad residentiam, non secus ac Dignitates, & Canonici.

Caput Tertium.

Consuetudinem laudabilem, & vetustissimam non congregandi Capitulum sine nostra, vel nostri Generalis Vicarij præsentia, vel saltem licentia approbamus, & confirmamus: Præcipientes sic in posterum inuiolabiliter obseruari. Congregetur autem Capitulum in Sacristia Cathedralis Ecclesiæ ad sonum Campanæ, vbi præmissa oratione de Spiritu Sancto cum solitis precibus, de rebus, & negotijs Ecclesiæ sedatè, & modestè agatur, suoque ordine in votis præferendis seruato. Nemo durante Capitulo discedat. Nil contra Dei honorem, Ecclesiæ vtilitatem, ac dignitatem proponatur. In fine Deo gratiæ agantur. Quòd si quis ausus fuerit in Capitulo vociferari, & quod peius est verba contumeliosa proferre, grauissimè arbitratu nostro punietur. Et ad scandala vitanda, Cõclusiones semper fiant per vota secreta. Laici verò arceantur à Capitulo, sub pœna excommunicationis; sicùt etiam si de rebus ad aliquem Canonicorum spectantibus sermo habeatur, is de cuius negotio tractatur, discedere debet; quod etiam seruetur si proposita negotia ad Canonici Consanguineos in primo, vel secundo gradu pertineant. Deputetur singulis annis Secretarius, qui Conclusio-

nes in libro describat, sub die, mense, & anno; & ad euitandas fraudes à Canonicis subscribantur. Liber autem, & sigillum conseruetur in Archiuio Capitulari cum duabus clauibus differentibus; quarum vna apud Archidiaconum, quo absente apud Archipresbyterum, & sic gradatim; altera penes Procuratorem Capituli conseruetur. Literas, quas continget scribere, registrent in dicto libro. Qui autem secreta Laicis, alijsue personis palam fecerit, grauissimè punietur.

Caput Quartum.

Canonici denique maximè aduertere debent, se ita nominari, qui veluti Canones, & Regulæ bene viuendi omnibus fidelibus, & præsertim Ecclesiasticis, esse debent. Quapropter Christianis, & Ecclesiasticis moribus, ac virtutibus ita se quotidie ornari studeant, vt sicut in ampliori honoris gradu, ita & in maiori virtutum perfectione cœteris antecellant; atque in virtutum stadio ipsi curretes, alios, & potissimùm inferiores Clericos, post se in odorem vnguentorum suorum trahant. Pacem taliter inter se mutuò foueant, vt omnium ipsorum sit quasi cor vnum, & anima vna. Nulla inter eos sint iurgia, contentiones, vel rixæ, & si aliqua differentia oriatur, amicabiliter componant, & placidè Superiorum dicto acquiescant; Superioribus ipsis, præsertim Vicario Generali, honorem, & reuerentiam exhibentes. Quòd si horum obliti inter se rixati fuerint, & verbis contumeliosis, ac iniurijs se se mutuò affecerint, vel aperta odia cum aliorum scandalo retinuerint; etiam prohibito ad Sacrum Altare accessu, per fructuum subtractionē, mulctasq; pecuniarias, vel etiam per detentionem in carceribus, iuxta delicti, & scandali qualitatem, eos cohibere, & vrgere non cessabimus. Cùmque eorum præcipuum munus sit Diuinas laudes in Choro canere, curet vnusquisque saltem Gregorianum cantum addiscere, & ad omnes Canonicales, & Ecclesiasticas functiones in Ecclesia obeundas aptum se reddere, atque ea omnia, quæ de Diuino Officio, Horis Canonicis, Missarum celebratione, Ecclesiasticis cæremonijs præscripta sunt perfectè adimplere. Quidquid autem in Superioribus de Canonicis dicitur; de Dignitatibus etiam dictum intelligatur.

Caput Quintum.

Magnum cognoscimus detrimentum resultasse tum Iuribus nostræ Cathedralis, tum aliarum Ecclesiarum Diœcesis ex incuria in seruandis scripturis nostro Episcopali Archiuio creditis. Proinde nè in posterū aliquid simile contingat, & defectus præteritos quantum possumus resarciamus, pœnam excommunicationis ipso facto incurrendā, & alias ad nostrum arbitrium imponimus ijs, qui quamlibet scripturam ex dicto Archiuio extrahere ausus fuerit absque nostra, vel nostri Gene-

ralis

ralis Vicarij licentia; nec non ijs, qui scripturam quamlibet retinent,& statim non restituunt,& qui sciunt non reuelant nostræ Curiæ. Quilibet autem Curiæ Minister, etiam ipse Vicarius Generalis non præsumat aliquam ex dictis scripturis auferre,sub eadem pœna.

Caput Sextum.

Nedum in nostra Cathedrali, vt supra, sed, & in quacunque Parochiali Ecclesia, ac in Monialium Monasterijs, si vsque adhuc non sit erectum,statim erigatur Archiuium,in quo scripturæ omnes ad Capitulum,Clerum,Ecclesias ipsas,& Monasteria spectantes rectè inter se dispositæ conseruentur;cuius claues penes Ecclesiarum,& Monasteriorum Superiores,vel alium,ad quem de consuetudine pertinet,custodiãtur. In reliquis verò nostræ Diœcesis Ecclesijs, & locis pijs, si non Archiuium,saltem armariolum bene compactum, tutum, & claue munitũ construatur; in quo scripturæ ad ea spectantes eodem modo conseruẽtur; vel saltem in Archiuijs Ecclesiarum Parochialium si commodè fieri potest; in quibus omnibus Archiuijs, seu Armarijs fit Index, seu nota omnium scripturarum,scilicet Inuentariorum bonorum stabiliũ, & mobilium, Instrumentorum, Codicum computorum, Aphothecarũ, Decretorum Sanctæ Visitationis, Sententiarum, Indulgentiarum, Memoriæ Consecrationis, vel Dedicationis Ecclesiæ, Librorum Parrochialium,& similium,quæ in dictis Archiuijs, vel Armarijs conseruari debent. Nec vlli liceat, aut permittatur præfatas scripturas perquirere absque Custodis præsentia; nec vllis tradantur, sub grauissimis pœnis nostro arbitrio infligendis; & si quis aliquam ex eis occupare præsumpserit,in excommunicationem incidet.

TITVLVS XXXVII.

De Obedientia Episcopo,& Episcopali Cathedrę præstanda,& Cathedratico soluendo.

Caput Vnicum.

CVm in qualibet Diœcesi sit statuta dies, in qua Vniuersus Clerus vultum proprij Pastoris adire debet,eique, ac Cathedrali Ecclesiæ tributum obsequij, & obedientiæ deferre: In hac nostra Triuentina reperitur ad hoc destinata Festiua dies Sanctorum Martyrum Nazarij,Celsi,& Victoris huius Ciuitatis,totiusque Diœcesis Patronorum, 28.Iulij,in qua omnes Archipresbyteri,Rectores, & Beneficiati tenentur nostram Cathedralem inuisere, Nobisque solitum Cathedraticum in signum subiectionis soluere; cui debito satisfacere iurant, cùm eis expe-

expediuntur Bullæ. Vt autem hæc peruetusta, laudabilis, & vniuersalis consuetudo in viridi, ac perpetua obseruantia perseueret; pro debito Pastoralis solicitudinis, iureque nostro tuendo; districtè præcipimus, & mandamus, vt omnes, & singuli Rectores, & Beneficiati, cæterique adhoc obligati, sub pœna interdicti compareant in loco nostræ Residentiæ prædicta die Sanctorum Nazarij, Celsi, & Victoris, ad præstandam Nobis debitam obedientiam, solitumque Cathedraticum iuxta antiquam taxam soluendum. Volumus autem, vt omnes, & singuli per Curiæ Cancellarium in Ecclesia vocentur: qui quidem sic nominatim vocati, stantes aperto capite, modesta, & alta voce respondeant (Adsum:) & tunc bini, & bini ad Episcopum in sua Episcopali Cathedra sedentem accedant, eique per osculum manus, reuerentiam exhibeant, & eodem ordine redeuntes, Cathedraticum Æconomo à Nobis destinato pro debito soluant: Cancellarius autem aliquo signo ducto calamo notet absentes, ad hoc vt pro reatu culpæ puniri possint. Quòd si legitimo impedimento (à Nobis probando) fuerint detenti, id efficiant per Procuratores ad hoc specialiter destinatos. Factores verò, Administratores, vel Procuratores Hospitalium, Confraternitatum, aliorumq; piorum locorum, qui tenentur in nostris manibus certum Cathedraticum soluere dicta die, illud, vel deferant, vel saltem per alios mittant, sub eadem pœna Ecclesiastici interdicti, si vltra octo dies solutionem distulerint. Et præterea illis notificamus, quòd si negligentes se in hoc præstiterint, expediemus etiam Commissarios, earundem personarum, non autem Ecclesiarum, aut piorum locorum expensis.

TITVLVS XXXVIII.

De Exemptione Triuentinæ Ecclesiæ, deque voluntaria Comprouincialis Electione pro Concilio Prouinciali.

PLacuit Sanctæ Sedi Apostolicæ, eiusque Summis Pontificibus hanc nostram Ecclesiam, Diœcesimque Triuentinam exemptionis priuilegio communire, & sub eiusdem Sedis Apostolicæ immediata protectione, & obedientia suscipere, ac retinere, quam omnimodam exemptionem ab immemorabili possessam, felic. record. Sixtus Papa IV. dignatus est confirmare, & quatenus opus fuisset de nouo concedere, vt patet ex literis expeditis sub die prima mensis Iunij 1474. infra in Appendice apponendis: Nihilominus, quia iuxta dispositionem Sacr. Concil. Trid. huiusmodi Ecclesiæ exemptæ tenentur eligere Comprouincialem, seu Metropolitanum; ad cuius Prouincialia Concilia Episcopi

exem-

exempti conueniant. Ideo Nos Decreto huic, vt par eſt, obtemperantes, approbamus, confirmamus, & quatenus opus ſit, renouamus ſpontaneam, ac liberam Electionem à Noſtris Prædeceſſoribus factam in perſonam Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Archiepiſcopi Lancianenſis. Proteſtantes tamen, quòd nullum inde præiudicium inferri cenſeatur omnimodæ exemptioni huius Eccleſiæ, ac Diœceſis, Forique noſtri Triuentini in iudicijs, tam Ciuilibus, quàm Criminalibus, Spiritualibus, & Temporalibus, aut mixtis, ordinarijs, ſeu extraordinarijs: Quapropter nulla inhibitio, præceptum, intimatio, citatio, &c. rata habeantur, quæ ab Archiepiſcopo Lancianenſi fortaſſe emanabunt: Neq; ad eundem, eiuſque Curiam appellatio, vel recurſus quomodolibet admittatur; cùm voluntaria hæc noſtra Electio aliud ius ei non tribuat, niſi ſolummodo Nos vocandi ad Prouinciale Concilium, quandocunque ritè, iureque ſeruato congregari contigerit.

TITVLVS XXXIX.

De Obſeruantia, & Exequutione Synodalium Conſtitutionum, & declarationibus ſuper eaſdem euulgatas.

IN caſſum leges conduntur, ſi earum obſeruantia negligatur. Quapropter omnes, & ſinguli, quorum intereſt, ea, quæ decretata ſunt, ſtudeant ſedulò exequi, ſub pœnis in Conſtitutionibus contentis, & vbi non eſt iniuncta pœna, arbitrio noſtro, vel noſtri Generalis Vicarij intelligatur appoſita. Synodales Conſtitutiones Illuſtriſſimorum Prædeceſſorum noſtrorũ laudamus, approbamus, & quoad pœnas, & Cẽſuras ſolummodo eas abolitas declaramus; præſentes verò noſtras, quas, inſpecta temporũ diuerſitate mitiores voluimus, in poſterum adamuſſim, obſeruari mandamus; ſicut, & omnia, quæ in Appendice apponuntur. His autem Synodalibus Conſtitutionibus nihil eſſe derogatum, Decretis, Edictis, ſeu Ordinationibus in Sancta Viſitatione quorumcunque locorum, & perſonarum à Nobis editis, niſi illis aduerſentur, declaramus. Cunctis autem volumus innoteſcere. Nos argentum, & Aurum, aut veſtem nullius concupiſcere, & poſſe cum Apoſtolorum Principe proferre: *Argentum, & Aurum non eſt mihi*: Non enim quęro quæ veſtra ſunt, ſed Vos; imò veriùs, nec veſtra, nec vos, ſed quæ Ieſu Chriſti; ac propterea pænas pecuniarias his Conſtitutionibus inflictas, pijs dumtaxat vſibus applicandas in manu Depoſitarij mulctarum Canonici Cathedralis (qui ad præſens eſt R.D. Franciſcus de Donatellis) ſoluendas eſſe pro more decernimus. Nobis tamen facultatem reſer-

ſer-

seruamus, pœnas impositas moderandi, commutandi, minuendi, augendi, aut in totum condonandi. Si autem super his Constitutionibus aliqua orietur difficultas, illius declarationem nostro iudicio etiam reseruamus: Authoritate tamen Sanctæ Sedis Apostolicæ semper salua, cuius arbitrio Nos ipsos, & omnia hæc subijcimus corrigenda.

DECRETVM VLTIMVM.

De Dimissione Synodi.

AD laudem Omnipotentis Dei, Beatissimæ Deiparæ Immaculatæ, eiusque Virginalis Sponsi Diui Iosephi, Sanctissimorum Christi Martyrum Nazarij, Celsi, & Victoris huius Triuentinæ Diœcesis Patronorum, Seraphici Francisci, Bonauenturæ, Antonij, & omnium Sanctorum; Synodum dissolutam, ac dimissam decernimus, itaùt cuique, vt libet, liceat ad proprias Ecclesias redire. Hortamur autem, & obsecramus Vos Fratres Carissimi, vt vosmet tales in vestro munere præbeatis, sicuti verè, & propriè decet Clericum, & Sacerdotem à mundanis curis segregatum: Illudque maximè cogitandum erit, ac cum redieritis præstandum, vt Populus fructum huius nostræ Synodalis Sanctionis cognoscat in vestra virtute, & Religione elucescentem; & munus quisque suum perquàm diligenter absoluat, vt sic gratiam, & gloriam vnusquisque operibus suis in pietate Diuina confisus, consequi, & adipisci in Domino valeat.

LAVS DEO.

ROGITVS ACTORVM.

SVpradicta omnia, seruatis de more seruandis, tribus in sessionibus, fuisse celebrata, lecta, lata, & publicata per Admod. R. D. Ioannem Baptistam Fraracci Palumbum V. I. P. Archipresbyterum Terræ Frusinonis Synodi Secretarium, necnon recepta coram Reu. Capitulo, & vniuerso Clero, tum Vrbano, tum Foraneo in Ecclesia Cathedrali Triuentina legitimè congregato, omnibus præsentibus, & audientibus die 13. 14. & 15. Mensis Octobris 1686. Pontificatus SS. Domini Nostri Innocentij XI. Anno Decimo, Præsulatus verò Illustriss. & Reuerendiss. Domini Fratris Antonij Tortorelli Episcopi Triuentini Anno Secundo; actis de more Deo gratijs, peractisque acclamationibus, fidem facio, atque testor Ego D. Liberator de Donatellis Archipresbyter Terræ Saliceti, & Notarius Apostolicus, ac præsentis Synodi &c.

AP-

APPENDICE

Alla prima Sinodo Diocesana della Santa Chiesa Triuentina, celebrata da Monsignor Vescouo Fr. Antonio Tortorelli in quest'anno 1686. a' 13. 14. e 15. del mese di Ottobre.

Ad Titulũ primũ Constitut. Synodal. Cap.2.

IN quest'Appendice si pongono tutte quelle cose, le quali in essecutione delle Costitutioni Sinodali deuono sapersi, osseruarsi, e publicarsi respettiuamente da chi spetta, ne'giorni prescritti; Ed acciò si adattino alla capacità di tutti, si mettono nella nostra volgar fauella, e secondo l'ordine delli Titoli, e Capi dell'istesse Sinodali Costitutioni, nelle quali vengono citate; Ed i Parochi, che tralascieranno la publicatione di dette cose, incorreranno la pena di due scudi per ciascheduna volta, ed altre arbitrarie.

Formola della Professione della Fede,

Da farsi come nelle Constitut. Sinodali, cap. 2.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continẽtur in Symbolo Fidei, quo S.R.E. vtitur, v3. Credo in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, Factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium: Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; Genitum non factum consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt; Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis; Et Incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est; Et resurrexit tertia die secundùm Scripturas; & ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris; & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio, simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam; Confiteor vnum Baptisma, in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum; & vitam venturi sæculi Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sanctam Scripturam

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

turam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto; nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ Legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia, ſingulis neceſſaria: ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiã, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro Viuis, & Defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, vnà cum Anima, & Diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ Panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie, totum, atq; integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animasque ibi detentas Fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter, & Sãctos vnà cum Chriſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarũ etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vsũ Chriſtiano Populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cœtera item omnia à Sacris Canonibus, Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpatium conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel

illis,

illis', quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Editto del Sant' Officio.

Ad Titulū secūdum Cap. 1.

Da publicarsi due volte l'anno, cioè nelle prime Domeniche dell'Aduento, e Quaresima.

Noi &c. Per la misericordia di Dio della Santa Romana Chiesa Cardinali in tutta la Republica Cristiana contro l'Eretica prauità Generali Inquisitori dalla Santa Sede Apostolica specialmente Deputati.

ESsendo à Noi per continuà esperienza manifesto, che molti per malitia, altri per inobedienza, & altri per ignoranza, non sodisfano à gl'oblighi, che hanno di denunciare al S. Officio li delitti spettanti ad esso; e che però succedono grandissimi inconuenienti, & errori, non solamente contro i buoni, e cristiani costumi, mà ancora contro la fede Cattolica; Noi per tanto, a' quali specialmente deuono essere à cuore la gloria di Dio, la conseruazione, & augumento della fede Cattolica, e la salute dell'anime: Volēdo prouedere à tanto disordine, con autorità Apostolica à Noi commessa, comandiamo in virtù di Santa obedienza, e sotto pena di Scommunica di lata sentenza, oltre l'altre pene prescritte da' Sacri Canoni, Decreti, Constitutioni, e Bolle di Sommi Pontefici, per tenor del presente Editto, à tutte, e ciascuna persona di qualsiuoglia stato, grado, e conditione, e dignità, così Ecclesiastica, come Secolare, che frà il termine di trenta giorni, dieci de' quali per il primo, dieci per il secondo, e dieci per il terzo termine perentorio, debbano riuelare, e giuridicamente notificare al Santo Officio, ò vero all'Ordinario tutti, e ciascun di quelli, de' quali sappiano, ò habbiano hauuto, ò haueranno notitia:

Che siano Eretici, ò sospetti, ò diffamati d'Eresia, ò credenti, ò fautori, ò ricettatori, ò defensori loro: ò habbiano aderito, ò aderischino a' riti de' Giudei, ò Maumettani, o de' Gentili, ò habbiano apostatato dalla Santa fede cattolica,

Che habbiano fatto, ò facciano atti da' quali si possa argomentar patto espresso, ò tacito col Demonio, esercitando incanti, magie, sortilegij; porgendoli suffomiggi, ò incensi per trouar Tesori, & altri intenti; chiedendo da lui risposte, & inuocandolo, ed à quest' effetto promettendogli vbidienza, e consecrandogli pentacoli, libri, spade, specchi, ed altre cose, nelle quali interuenga il nome, ò opera sua.

Che si siano ingeriti, ò s'ingerischino in far esperimenti di negro-

manzia, ò di qualſiuoglia altra ſorte di magia, con entrare ne'circoli, fare eſperimenti della caraffa, ò del criuello, per trouare i medeſimi Teſori, coſe naſcoſte, rubbate, ò perdute, e far'altre ſimili ſuperſtizioſe azioni ad altri fini, maſſime con abuſo de' Sacramenti.

Che ſenza la licenza douuta ritenghino ſcritti, che contenghino Ereſie, ò libri di Eretici, che trattino ex profeſſo di Religione, ò che gli habbiano letti, ò tenuti, ò ſtampati, ò fatti ſtampare, ò gli legghino, tenghino, ſtampino, facciano ſtampare, introduchino, ò diffendino ſotto qualſiuoglia preteſto, ò colore.

Che habbiano libri di Negromantia, Magia, ò continenti incanteſimi, ſortilegij, e ſimili ſuperſtizioni, maſſime con abuſo di coſe Sacre.

Che contro il voto ſolenne fatto nella profeſſione in qualſiuoglia Religione approuata, ò doppo d'hauer preſo l'Ordine Sacro, habbiano contratto, ò contraggano matrimonio.

Che viuendo la prima moglie, pigli la ſeconda, ò viuendo il primo marito, pigli il ſecondo,

Che contro i Decreti, e Conſtitutioni Apoſtoliche habbiano abuſato, ò abuſino il Santiſſimo Sacramento della penitenza, ſeruendoſi della confeſſione, e Confeſſionario à fini dishoneſti, ſollecitando in eſſi i Penitenti *ad turpia*, ed hauendo con eſſo loro diſcorſi di coſe illecite, e non conuenienti al fine per il quale è ſtato inſtituito.

Che habbiano proferito, ò proferiſchino beſtemie ereticali contro Dio, la Beata Vergine, e Santi, ò procedano à qualche atto di offeſa, e diſprezzo contro l' Imagini, e Figure rappreſentanti il medeſimo, ò li medeſimi.

Che habbiano tenuto, ò tenghino occulte conuenticole, ò radunanze in pregiudicio, diſprezzo, ò contro la Religione Cattolica.

Che habbiano indotto qualche Criſtiano ad abbracciare il Giudaiſmo, ò altra Setta contraria alla fede Cattolica, ò impedito i Giudei, ò Turchi à battezzarſi.

Che non eſſendo ordinati Sacerdoti, s'habbiano con ſacrilego ardire vſurpato, ò ſi vſurpino di celebrar Meſſa, ancorche non habbiano proferite le parole della conſecratione, ò habbiano preſunto di amminiſtrare il Sacramento della penitenza a' Fedeli di Criſto, ancorche non ſi ſia venuto all'atto dell'aſſoluzione.

In oltre ſi dichiara, che quelli, i quali non denunciaranno, come ſi ordina col preſente Editto, non poſſano eſſere da alcuno aſſoluti ſe non dal S. Officio, doppo che haueranno in eſſo giuridicamente riuelati i delinquenti; al che non poſſano ſodisfare con bollettini, ò lettere ſenza nome, e cognome dell' Autore, ò altri modi incerti, de' quali non ſi tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

Si dichiara anche, che colla ſudetta eſpreſſione de'caſi di ſopra de-

Noi

Noi ſpecificati da riuelarſi, non ſi eſcludano gl'altri caſi ſpettanti al S. Officio, che per altro ſono compreſi ne'Sacri Canoni, Conſtitutioni, e Bolle de'Sommi Pontefici; nè meno con il preſente Editto s' intenda derogato all' altre prouiſioni Canoniche Apoſtoliche, & à gl' altri Editti degl'Ordinarij, & Inquiſitori.

Et affinche del preſente Editto non ſi poſsa pretendere ignoranza; Comandiamo, che ſia affiſso per i luoghi ſoliti di Roma, e ſi notifichi alli Veſcoui delle Città vicine à Roma, nelle quali non ſono Inquiſitori, acciochè lo publichino, & ordiuino, che i Parochi delle loro Dioceſi lo legghino ogn'anno la prima Domenica dell'Auuento, e la prima Domenica di Quareſima; il che parimente vogliamo, che ſi faccia da' Parochi, e Regolari di Roma nelle loro Chieſe, in tempo, che ſi trouerà in eſso congregato maggior numero di Popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro Chieſe, e Sacriſtie di eſse vn' eſemplare del medeſimo, per oſseruare quanto in eſso ſi ordina.

Per maggior intelligenza di queſto Editto, e per qualche particolar biſogno di queſta Dioceſi ſi auuerte, che trà quelli, che eſercitano incanti, magie, e ſortileggij s'intendono anche coloro, che ligano, ò ſanno ligare li Spoſi nell'atto, che contrahono il Matrimonio, ò in altro tempo, con parole, ò altre ſuperſtizioſe azioni, ò affaſcinano li medeſimi Spoſi, acciò non poſſano conſumare il matrimonio; ed anche il modo che tengono nel ſcioglierli, e sfaſcinarli; come pure tutti quelli, che à ſimili azioni danno aiuto, fauore, e conſeglio.

Parimente ſono compreſi coloro, che con arte ſuperſtizioſa pretendono curare l'infermità, tanto d'huomini, quanto d'animali, ò colla medeſima arte ſapeſſero ritrouare eſſi animali, ò altre coſe perdute, ò rubbate; ò pure faceſſero arreſtare l'iſteſſi animali, acciò non ſi perdano, ò non ſi rubbano nella Campagna, che chiamano volgarmente *Annottare*; ò vero vſaſſero alcune parole, facendo paſſare i figliuoli ammalati per i gradini di vna ſcala di legno, ò catena pi ferro, ò ſeruendoſi di certa poluere, ò altri ſegreti fatti in certi determinati giorni, con robbe preſe da certe determinate perſone, con certi nomi ſpeciali, per far venire il latte alle Donne, ò per riſanare altra infermità, ſpecialmente la Sciatica, e Serpentina; vſando nell'applicazioni di quelli alcune parole, Croci, Orazioni, ò altri ſegni, che hanno del ſuperſtizioſo, ò ſcriuendo nel piatto certe lettere, e poi ſtemperate con acqua, la danno à bere; e ſimili.

Sono compreſi ſimilmente quelli, che con certi ſtromenti, ò in qualſiuoglia altra ſuperſtizioſa maniera procurano acquiſtar l'amore di qualche perſona per fini laſciui, e dishoneſti, ò per altro fine; e per tal'effetto daſſero a queſta da mangiare, ò da bere alcuna coſa miſturata; ò poneſſero in doſſo qualche materia, dalla quale ſi può dubitare ar-

re atto superstizioso; ò con certe parole scritte, ò proferite à voce facessero succedere atti venerei, tanto ad huomini, quanto à Donne.

In oltre sono compresi coloro, che in certi giorni, che la Chiesa Santa sollenniza qualche festa principale, ed in particolare l'Epifania, di S.Giouanni Battista, con mezzi superstiziosi procurano sapere le cose d'auuenire; ò pure con alcune croci, che fanno nell' vgne delle dita, tengono di certo, che siano salutifere à molti mali, per li quali si seruono ancora dell'incenso benedetto, Cereo pasquale, e candele benedette, Oglio Santo, cō tacita, ò espressa inuocazione del Demonio. Tutti questi tali si deuono denunciare, e chi n'hauesse notitia, e non li denunciasse, incorre nella scommunica ipso facto espressa nel medesimo Editto: Sì come restano scommunicati, e maledetti da Dio tutti quelli, che vsano tal'incanti, magie, sortilegij, e superstizioni. Dal nostro Episcopal Palazzo &c.

Fr. Antonio Vesc. di Triuento.

D. Iacinto de Martinis Canc.

Ad eundem Tit.

Modo di riceuere le Denuncie.

Acciò le denuncie si riceuano col debito modo, poniamo qui vna breue instruzione, della quale douranno seruirsi i Vicarij Foranei, Parochi, ed altri Ministri ne' casi, che bisognerà auualerci dell'opera loro in tal materia nella Diocesi.

Quando alcuno verrà per denunciare cosa spettante al Sant'Officio, si ascolti subito senza differire in altro tempo, e chiamata vna Persona Ecclesiastica, che seruirà per Notaro, ò Attuario assunto, si dia al Comparente il giuramento sopra il Messale, ò Breuiario di dire la verità, e si ammonisca paternamente, che se ardisse di dire il falso, offenderebbe grauissimamente Iddio, il Prossimo, e se stesso, allacciando l'anima sua con vn peccato mortale, del quale non potrebbe esser mai assoluto, se non riuocasse ciò, che hà falsamente detto; oltre altre pene temporali grauissime nelle quali incorrerebbe.

Dipoi dal Notaro si scriua così

Die. Mense, Anno.

Comparuit personaliter coram N.N. &c. Homo quidam staturæ &c. habens barbam &c. indutus vestimento coloris &c. qui petijt audiri pro exoneratione propriæ conscientiæ &c. data sibi facultate, ac iuramento in forma consueta super veritate dicenda, & per eum suscepto, tactis Sacris literis &c. fuit per præfatum N.N.

Interrogatus de nomine, cognomine, Patria, ætate, exercitio, & habitatione ipsius comparentis.

Respondit (e quì si scriua ogni cosa minutamente.) In-

Interrogatus ad quid venerit ad Sanctum Officium.

Respondit, (e quì se gli farà spiegare tutto il fatto, facendolo notare in iscritto dal Notaro.)

Hauuta la deposizione, principalmente si cercherà di sapere; se il comparente è testimonio del delitto de visu, ò de auditu; se hà contesti, e quali; ò almeno se sà, che altri possa dare informazione del seguito: ed in tal caso si scriuino dal Notaro i nomi, cognomi, habitazione, ed altre condizioni de'Testimonij, che nominerà.

Se gli facciano esprimere le parole precise, che furono dette: auuertendo, che non basta il dire per esempio, *che il tale hà bestemiato Dio, ò la B. Vergine,* mà bisogna, che dica quali precise parole proferi. Gli si faccia anche esprimere l'occasione, per la quale è stato presente à quel delitto, il luogo doue fù fatto, il giorno, e l'hora, ed il numero delle volte, e tutte quelle cose in somma, che porta seco il delitto denũciato. E se il denunciãte nõ si raccordasse l'occasione, ò il luogo, si auuerta di far costare al possibile tal negatiua, per esempio. *fù circa il tal tẽpo, &c.*

Se gli farà anco dire il nome, cognome, Padre, Patria, esercizio, habitazione, età, statura, ed effigie, &c. del Reo denunciato.

Si guardino anche i Nostri Officiali Diocesani, dalle interrogazioni, che hanno del suggestiuo; e le interrogazioni, come si fanno, cosi si scriuino, onde detestiamo il solito modo, &c. *ad opportunam interrogationem. Respondit.*

Quando poi sarà finito l'essame, e che non resterà altro da interrogare, si facciano al denunciante gl'interrogatorij generali, come appresso.

Interrogatus an causa odij, vel amoris; an verò ad exonerandam conscientiam, & ad Dei honorem, & gloriam ea, quæ dixit, deposuerit.

Respondit, &c.

Interrogatus an habeat, vel habuerit inimicitiam, aut litem cum dicto N. per eum denunciato.

Resp. &c.

Interrogatus, an confiteatur, & cõmunicet quolibet anno, saltẽ in Paschate.

Respond. &c.

Dopoi (se vorrà il denunciante) gli si rilegga l'esame, anche alla presenza di due Testimonij timorati, e secreti (se cosi sarà giudicato espediente) nella quale rilezione potrà il Testimonio accomodare, dichiarare, leuare, ò aggiungere ciò che vorrà, e tutto si scriua diligẽtemente dal Notaro.

Finalmente se gli comanderà sotto pena di scommunica maggiore ipso facto incurrenda, ò altra arbitraria (secondo si giudicherà più espediente,) e sotto il medesimo giuramento, che non parli con alcuno di questa sua deposizione, ò esame. E così il Notaro terminerà la deposizione in questo modo, cioè:

Quibus habitis, & acceptatis in parte, & partibus fauorabilibus, &c. dimissus fuit, imposito sibi silentio super prædictis, sub pœna periurij, vel excommunicationis, &c. & in fidem se subscripsit. E se saprà scriuere, se gli farà scriuere il suo nome così:

Io N. di N. confermo quanto di sopra si contiene.

Mà se non saprà scriuere, il Notaro in vece di quelle parole: *Et in fidem se subscripsit*, scriuerà in questo modo: *Et cum (prout dixit) nesciat scribere, pro confirmatione supradictorum apposuit signum Crucis*. E gli farà fare effettiuamente vna Croce con la penna così ✠

Actum per me N. de N. Notarium S. Officij anno, die, loco, & coram, vt supra.

E se vi saranno stati presenti Testimonij, aggiungerà: *Præsentibus pro testibus vocatis, &c.* N. di N. & N. di N.

Ad eumdem Tit.

Altra istruzione speciale per prendersi la denuncia della Donna sollecitata in Confessione, che non può comparire di persona.

SI fà vn memoriale dalla Denũciante, col quale narri hauer da esporre cose pertinenti al Tribunale del S. Officio, che però priega Sua Signoria Illustrissima commettere à persona Religiosa, che con ogni segreto vada à riceuere detta denuncia nel tal luogo; à fine di liberare da ogni scrupolo la cõscienza di essa supplicãte, sottoscriuendo a' piedi del memoriale il nome, e cognome di essa esponente, potendo mandarsi detto memoriale per il Confessore al Prelato; il quale vdendo dire, che se l'hà à proporre negotio spettante alla Santa Inquisizione, deue riceuerlo con grandissimo segreto, assumendo almeno due persone graui Religiose, e zelanti, delle quali vna se ne seruirà per scriuere gli atti, che occorrono, come sarebbe.

Die .... mensis ..... anni ..... in Palatio Episcopali N. in Aula interiori eiusdem solitæ habitationis Illustrifs. & Reuerendifs. Domini Episcopi N. coram eodem prædicto Domino Illustrifs. Assistente Reuerendo D. N. Canonico Cattedralis. N. & in præsentia mei D. N. Sacerdotis Ecclesiæ N. Actuarii assumpti ad hunc actum, comparet Reu. Pater Fr. N. N. Professus Sacerdos Theologus Ordinis N. exponens v3.

Vengo auanti V. S. Illustrifs. à portarle questo memoriale, continente negozio del S. Officio consignatomi da N. N. la quale con occasione, che Io sono andato à confessare alla Chiesa N. mi è stato dato da lei, affinche io con ogni segreto lo presenti à V. S. Illustrissima, acciò deputi vna persona, che riceua la denuncia di questa supplicante, la quale mi hà detto, che se venisse di persona, darebbe da sospettare altri negozij a' suoi parenti, e si potrebbe cagionare danno graue.

O vero

Ouero se la supplicante non saprà scriuere, potrà inuiare detto Religioso à dire à bocca tutto ciò, che chi sà scriuere direbbe per memoriale, e si procederà nel modo, come di sopra dal Prelato, mutatis mutandis.

L'Attuario noterà ogni cosa per extensum.

Tunc Illustriss. Dominus prædictus commisit eidem Patri Fr. N.N. Professo Religionis, &c. vt accedat ad locum N. ad finem accipiendi Denunciationem faciendam à N.N. iuxta instructionem Tribunalis S. Officij, quam præcepit sibi dari a me Notario assumpto, exacto priùs iuramento, tam a prædicto R. P. N.N. tangendo prout tetigit Sacra Euangelia, & pro veritate omnium supradictorum, & pro bene, & fideliter recipienda Denunciatione sibi danda, & sub silentio omnia retinendi, quàm à vobis Assistentibus, & à me de non præsentia propalando, nec in totum, nec in partem, prout iurauimus, tactis Sacris prædictis Euangelijs, imponendo dicto Patri, & vobis de toto præsenti negotio silentium sub pœna excommunicationis latæ sententiæ statim incurrendæ in casu contrauentionis reseruatæ eidem Illustriss. respectu Assistentium, & mei ipsius; & Sanctissimo Domino Papæ, respectu prædicti Reu. Patris, & fuit dimissus præsens tutus cum mandato, vt omnes subscribamus.

Ego Fr. N.N. Professus Ordinis N.N. prædicta omnia exposui.

Ego D. N.N. Canonicus Ecclesiæ N. Assistens deputatus interfui.

Ita est.

N.N. Sacerdos Ecclesiæ N. Actuarius assumptus ad hunc actum ab Illustriss. Domino N. Episcopo N.

